

H.F. u f. 80 (t. 4, 4)
DE

IMMUNITATIBUS

OUÆ

A REGIBUS NOSTRIS PRIMÆ ET SECUNDÆ STIRPIS

CONCESSÆ FUERUNT.

DISPUTATIONEM PROPOSUIT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

L. GRÉGOIRE

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS.

PARISIUS

APUD J.-B. DUMOULIN

BIBLIOPOLAM.

NAMNETIBUS

APUD A. GUÉRAUD

BIBLIOPOLAM.

MDCCLV.



DOCTISSIMO ET HUMANISSIMO VIRO

H. WALLON

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI

HISTORIÆ PROFESSORI

PARVUM OBSERVANTIÆ PIGNUS

OBTULIT

L. GRÉGOIRE.



PROOEMIUM.

Quum Germani Galliam armis occupaverunt, magna profecto agrorum parte potiti sunt victores: historiæ scriptores et jurisconsulti, earum terrarum quæ deinceps fuerit conditio, præsertim consideravere: inde tot insignia ediderunt opera de allodiis, de beneficiis aut terris tributariis, et de possessionum vicissitudinibus, donec omnes terræ, ut ita dicam, beneficiorum formam quasi induant, donec beneficium fiat hereditarium et feudum constituatur. Plerique autem, hanc viam ingressi, licet ingenio et doctrina pollentes, non semper errorem effugisse mihi videntur; etenim quum possessioni describendæ præcipuam curam adhiberent, potestatem quamlibet, et omnia alia quæ ad potestatem pertinent; census scilicet, tributa, jurisdictionem etc., e terrarum possessione oriri affirmant.

Sed demonstrare haud difficile esset, omnes Galliæ terras inter victores, jure belli, non fuisse divisas, et prædiorum vel maximam partem ab antiquis possessoribus conservatam fuisse, quum Germani res imperatoris et magistratuum romanorum præsertim inter se partirentur. Ceterum victores, pauci admodum numero, sæpe ut amici, ut hospites, diversis in pagis sedebant; aut vagam, de more Germanorum, vitam agentes, terram, ut possessores, colendam parum curabant.

Multis autem abhinc annis quoddam divitiarum vehementissime appetebant romani imperatores præsidesque provinciarum; potestatis enim exercendæ peritissimi, præcipuam operam dabant, ut census, tributa, præstationes quaslibet a subditis exigere. Quæ fuerit miserrima hominum conditio, quum jam laberetur romani moles imperii, novimus: provinciarum incolæ a rapacissimis magistratibus torquebantur; quum terra ipsa a

possessore nonnunquam desereretur, quum civitatum ipsi curiales, re ipsa *servi reipublicæ*, publicorum maiorum pondere oppressi, perfugium etiam apud barbaras gentes quærerent.

Reges autem nostri eorumque comites locum statim occupant a romanis rectoribus desertum: victores Germani Romanis victoribus succedunt, ut Galliæ populos exactionibus suis exerceant: ut ait vetus scriptor, « Franci, profligatis Romanis, rerum facti domini in Gallia, statum « provinciarum a Romanis institutum non attingunt, nec duces comitesve a republica auferunt¹. » Nonne enim, a Clodovei temporibus usque ad Carolum Magnum, ubique videmus comites cum amicis seu militibus suis, cum *arimannia sua*, in civitate vel in pago quodam considentes, ut omnem statim exerceant dominationem, qua romani magistratus diu potiti fuerant? Hoc erat profecto optimum et gratissimum victoriæ præmium, quod rudibus hominibus præsertim placeret: prædia enim parum expetere videntur, quum contra alia divitiarum genera, aurum et argentum, tributa, præstationes quascumque avidissimi invadant.

Igitur Gallia, per quingentos annos ab imperatoribus spoliata, crudeli barbarorum iudicum cupiditate adhuc opprimetur: ut scripsit Cujatius, « servos et census et alia innumera prædiorum hominumque onera, e jure « romano originem sumpsisse, interea testor, dum me ad consuetudinum « nostrarum jus explicandum paro, etc.² » Hoc solum interest Romanos inter et Germanos: illi, nomine reipublicæ, Galliæ principatum obtinuerunt, et victæ gentis dominationem ad utilitatem unius et sub unius potestate exercuerunt; Germani autem, in familias divisi, disciplinæ parum assueti, male definitum regum suorum imperium agnoscere, insita contumacia, recusant.

Reges nostri primæ stirpis summam imperatorum potestatem sibi arrogare exoptant: agris et divitiis potentes, inter devictos Galliæ populos longo jam a tempore libertatis expertes, e Germaniæ silvis translati, imperatorum personam agere eo vehementius cupiunt, quod ecclesiæ præsides, a discordia abhorrentes, eorum ambitioni favere videantur. Sed duces militum, comites seu potentiores, nullo modo libertatem avitam, parendi nesciam, abdicare volunt, ut se regum fideles ministros esse profiteantur. Itaque, Gallia occupata, statim civilia bella incipiunt: non solum, ut plerisque placuit, reges prædia fisci sui recuperare, aut libere, cui voluerint, largiri conantur; dum optimates, ea retinere et heredibus suis, ut possessores, tradere volunt: sed etiam reges eos potestati suæ, rei publicæ, obedientes efficere nituntur; dum qui partem quamdam potestatis, regis nomine, exercent, laborant,

¹ Hauteserre, *de Ducibus*, cap. 5.

² Cujatius. *Cod.*, tit. *de Agriculis*.

ut omnibus erga regem et rempublicam oneribus immunes fiant, et hanc dominationem quam obtinuerunt, sicut patrimonium et hereditatem, conservent.

Clodovei successores impotentiam suam fateri coguntur : Majores domus, quum regiam quasi dignitatem adepti sunt, eadem persequi videntur; et aliquamdiu Carolus Magnus, ut rex, ut fortis rei publicæ defensor, dat jussa et populos imperio regit : imperatoria etiam dignitas, nec inconsulto, restituitur. Sed, quamvis opibus, armis et ingenio excellat, quamvis præclara scribat Capitalaria, quamvis Missorum summam renovet potentiam, et placita generalia in auxilium regie dominationis advocet, quamvis ecclesiæ præsidium auctoritate sustineatur; potentiores, et ipsi judices, cujuslibet ordinis, quos instituit, semper huic publicæ potestati obluctantur, semperque celeberrimi ducis solummodo comites, socii, esse sibi videntur, cum quo dividere debeant præmia victoriæ, terrarum scilicet possessionem et hominum dominationem :

Cessatur generale bonum, sua quisque tuetur.

Quum igitur, post Caroli Magni tempora, penitus res publica deficit, omnia jura potestati inhærentia, olim ab imperatoribus possessa, quæ reges nostri sibi nonnunquam exercenda vindicaverant, potentiorum fiunt privata possessiones, et regia auctoritas, sine terris quarum census percipiuntur, sine jurisdictione, sine publico imperio, cui omnes parere debeant, non jam re ipsa existit; nomen tantum superest, dum, quæ vulgo dicitur *feudalis*, societas constituitur.

Sed quamvis omnia, ut ita dicam, confusa et perturbata sint, res tamen duas distinguere necesse est: hinc feudum et omnia instituta, omnes saltem consuetudines, quæ ex illo fonte oriuntur; omnia fœdera quibus inter se conjunguntur feudorum possessores : illinc jurisdictionem, dominationem, potestatem, quam sæpissime *justitiam* vocant : hæc autem, non, ut olim, a principe delegatur, sed privata facta est possessio, et omnes attingit, quæcumque sit eorum conditio, qui intra fines quosdam commanentes, feudorum legibus non reguntur.

Quamvis feudi possessor plerumque justitiæ dominatione fruatur, attamen feudum et justitia, tum origine, tum natura ita separantur, ut nobis liceat dicere quæ nonnunquam scripserunt doctissimi jurisconsulti :

« Nihil commune habet proprietas feudi cum proprietate jurisdictionis.

« Potest esse territorium sine jurisdictione et jurisdictio sine territorio.

« Jurisdictio exerceri potest etiam separata et abstracta a feudo ... etsi cum dominio conjuncta sit, tamen per se subsistit et separabilis est intellectu atque actu. »

« Aliud feudum, aliud jurisdictio. »

Non hanc opinionem admisisse mihi videntur plerique nostrorum aucto-

rum : scripsit enim *Montesquieu* jus justitiæ feudi naturæ inhærere; quem fere omnes secuti sunt: deinde *in justitia* jus dicendæ justitiæ solum viderunt, aliaque utilia jura, quæ non e feudali conventionem originem ducere fatebantur, sed quorum nec causam agnoscere nec naturam intelligere poterant¹.

Illis autem privilegiis, quæ immunitates vulgo dicuntur, reges nostri sua jura, suam potestatem privatis exercendam hominibus concessisse videntur: his præsertim præceptis, dominatio, publica jurisdictio, privata fit possessio, patrimonium, hereditas: itaque attentius exquirendo, quæ vis fuerit immunitatum, quis finis, quæ denique jura, quas utilitates amplecterentur, hanc materiam obscuriorem adhuc, quamvis sæpius elaboratam, me paululum illustraturum esse spero. Hinc proposita mihi dissertatio *de Immunitatibus*. Sed quum illius ætatis scripta perlegere coactus fuero, quum diutius inter auctores inculta et barbara lingua usos versatus fuero, timeo ne ipse vel invitatus peccem, et lectorum indulgentiam eo magis expostulo, quod sæpe verbis, quibus res romanas Livius aut Tacitus narrabant, exprimere mores, instituta, consuetudines temporum Caroli Magni, difficillimum esse mihi videtur.

¹ Guizot, IV^e *Essai sur l'histoire de France*. — Laferrière, *Hist. du droit français*, t. I^{er}. — Pardessus, *des Juridictions patrimoniales*. — Lehuërou, *Instit. caroling.*, etc., etc.

DE IMMUNITATIBUS

QUÆ

A REGIBUS NOSTRIS PRIMÆ ET SECUNDÆ STIRPIS

CONCESSÆ FUERUNT.

CAPUT PRIMUM.

I. — Quæ sit Immunitas sub Regibus secundæ stirpis: ecclesiasticis viris, sed etiam laicis conceditur.

Immunitatum præcepta mihi videntur esse privilegia, quibus, munere regum, quidam potentes judicum publicorum jurisdictioni auferrentur, aut partem quamdam publicæ auctoritatis acciperent¹. Quum innumera admodum hujus generis acta occurrant, operæ pretium est, hic primum transcribere formulam regie immunitatis, qua plerumque uti solebant his in temporibus.

« Maximum regni nostri augere credimus munimentum, si beneficia
« opportuna locis ecclesiarum, aut cui volueris dicere, benivola delibera-
« tione concedimus; ac, Domino protegente, stabiliter perdurare conscribi-
« mus. Igitur noverit sollertia vestra nos ad petitionem apostolico viro,
« Domino illo, illius urbis Episcopo, talem pro æterna retributione benefi-

¹ Plerique immunitatum naturam non intellexerunt, quum hic tantum viderent privilegium, quo eximerentur homines a publica justitia, aut quo terræ fiscales a regibus concederentur. Immunitas sic a Cangio definitur: « Generatim est quodvis privilegium a Principe concessum, « vi cujus, viri, ecclesiæ, ac prædia sub ejus protectione intelliguntur. » V^o *Emunitas*.

« cium visi fuimus indulsisse, ut in villabus ecclesiæ domus illius, quas
 « moderno tempore, aut nostro aut cujuslibet munere habere videtur, vel
 « quas deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas ampliare,
 « nullus iudex publicus ad causas audiendas aut freda undique exigendum
 « nullo unquam tempore non præsumat ingredere; sed hoc ipse Pontifex, vel
 « successores ejus, propter nomen Domini, sub integræ emunitatis nomine
 « valeant dominare. Statuentes ergo ut neque vos, neque juniores neque
 « successores vestri, nec nulla publica judiciaria potestas quoque tempore
 « in villas ubicumque in regno nostro ipsius ecclesiæ, aut regia aut privato-
 « rum largitate conlatas, aut qui inantea fuerint conlaturas, aut ad audien-
 « dum altercationes ingredere, aut freda de quaslibet causas exigere, nec
 « mansiones aut paratas vel fidejussores tollere non præsumatis; sed quid-
 « quid exinde aut de ingenuis aut de servientibus ceterisque nationibus, quæ
 « sunt infra agros vel fines seu supra terras prædictæ ecclesiæ commanentes,
 « fiscus aut de freda aut undecunque potuerat sperare, ex nostra indulgen-
 « tia pro futura salute in luminaribus ipsius ecclesiæ per manum agentium
 « eorum proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini et
 « animæ nostræ remedium seu nostra subsequenti progenie plena devotione
 « indulsimus, nec regalis sublimitas nec cujuslibet iudicium sæva cupiditas
 « refragare tentet. Et ut præsens auctoritas tam præsentibus quam futuris
 « temporibus inviolata Deo adiutore permaneat, manus nostræ subscriptio-
 « nibus infra roborare decrevimus¹. »

Hæc immunitatis præcepta præsertim ecclesiasticis hominibus, episcopis vel abbatibus concedebantur, ut ex formularum libris, ex rerum gallicarum et francicarum scriptoribus plane apparet. Etenim reges hæc largiri solebant, pietatis causa: *Pro animæ remedium, vel pro genitore; in amore beatorum sanctorum; pro amore Dei et pro reverentia sancti; ob æternæ retributionis fructum; ad mortalem vitam temporaliter transigendam et ad æternam feliciter obtinendam, etc.* Dein, quum optimatum, iudicum publicorum nimis contumacem potentiam, nec immerito, timerent; ecclesiasticos homines arctioribus beneficiorum vinculis sibi conciliare nitebantur, et sub propria defensione, sub *immunitatis tuitione*, sub *Mundeburdo* suo recipiebant, ut, opibus ecclesiæ et auxilio freti, facilius sua jura, suam auctoritatem protegerent.

Parte alia, præter ceteras immunitatum utilitates, episcopi vel abbates hanc regalem tutelam, hoc quasi patrocinium, exposcebant adversus comitum aliorumque turbulentam dominationem. Sic in charta de *Mundeburde Regis et Principis* hæc verba legimus, quæ sæpius reperiuntur: *Propter malorum hominum illicitas infestationes, propter ejus defensionem, sub*

¹ Marculfi formulæ, lib. 1, f. 5.

*sermone tuitionis nostræ visi fuimus recepisse, ut sub Mundeburde vel defensione illustris viri majoris domus nostri quietus debeat residere.... Nec vos (id est comites, iudices publici), nec juniores aut successores vestri vel quislibet eum de inquisitis occasionibus injuriare nec inquietare non præsumatis. Hoc etiam ex alia formula manifestius liquet: Rogamus atque jubemus ut neque vos, neque..... ipsum vel homines suos inquietare nec condemnare, nec de rebus suis in ullo abstrahere, nec dismannire præsumatis*¹.

Etenim ex omnibus illius ævi scriptis constat, publicos iudices, ut plenius ostendam, rem publicam parum curavisse, et semper regiæ potestati restituisse, quum passim in diplomatibus hæc verba occurrant, *calliditas, præsumptio, sæva cupiditas iudicum*, etc.

Ceterum immunitatum præcepta facilius in monasteriorum chartulariis aut apud ecclesiasticos scriptores ab injuriis temporum aut bellorum ruinis servata fuerunt.

Attamen aliis etiam donabantur, ut e formulis apparet: *locis ecclesiarum, aut cui volueris dicere — confirmatio ad sæcularibus viris....* etc.², et præsertim ex ipsis immunitatum præceptis, quæ reges fidelibus suis concedebant³.

Itaque nescio qua ratione vir doctissimus nuper scripserit, nullum inveniri hujusmodi diploma laico cuidam datum, quum tamen tales extitisse concessionem fateatur⁴.

II. — In immunitate potestas a possessione discernenda est. — Terras quascumque et homines cujuslibet conditionis attingit immunitas.

Immunitatis privilegium juri et potestati publicorum iudicum quasdam terras subtrahit, et homines, cujuslibet sint conditionis, qui super eas commanere videntur. Non solum possessiones, sed dominationem etiam amplectitur, quum in formulis et in chartis hæc legimus: « *Homines, qui sunt infra* » agros vel fines seu supra terras ecclesiæ. » Quæ aliis verbis nonnunquam

¹ Marc. form., lib. 1., f. 24. — Lindenbrogii form., 58, 177.

² Marculli formulæ, lib. 1, f. 3, 17, etc. — Lindenbrogii formulæ, 6, 7, etc.

³ Baluze, *Capit. Regum Francorum*, t. II, col. 1400, 1403, 1445, 1525, etc., etc. — Can-
gius, *V^o Herimanni*, etc. — D. Bouq., t. V, VI, VII, VIII, *passim*.

⁴ Pardessus, *des Justices patrimoniales*: Biblioth. de l'école des Chartes, 1^{re} série, t. II,
p. 98.

sic explicantur : « Infra agros vel terminationes, aut fines seu super terras : « ubicunque ad præsens eorum maneat possessio vel dominatio.... Quidquid « nostra ibidem videtur esse possessio vel dominatio... Quod præsenti « tempore videntur possidere aut dominari... Concedentes universa quæ « ibidem ad dominium et potestatem comitis pertinuisse videntur¹. »

Igitur primum distinguere necesse est, terras quas ipse possidet qui immunitate donatus est, id est *possessionem*, et territorium immunitatis, in quo dominationem suam exercet, id est, *potestatem*.

Quæ vero sint illæ terræ?

Non licet judici publico in curtes aut villas, loca vel agros seu reliquas possessiones ingredi; sæpe alia verba in chartis reperimus, quum semper idem sit sensus : « In curtes, monasteria, vicos, vel castella, pagos, vel « parochias et cellas, etc.; » et alias : « Terras, campos, prata, pascua, « aquas aquarumve decursus, mobilia et immobilia, silvas, farinaria, etc. » Sic omnia possessionum genera sub immunitatis privilegio exstitisse affirmare possumus.

Non solum possessiones, quæ dono regum concessæ fuerunt, ita fiunt immunes, sed omnes terræ, cujuscumque sint originis vel conditionis, quæ tum possidentur aut in posterum acquiruntur : « Quas juste ac legaliter « possidet in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri, « vel quæ deinceps aut per nos aut per alios quosque fideles, etc., etc.². »

Hæc igitur bona, non, ut beneficia regalia, nobis apparent, quum immunitatis privilegium omnia, quæcumque sint, attingit : « Tam ex munificen- « tia Regum et Reginarum quam id quod per venditiones, donationes, com- « mutationes, cessionesque fuit delegatum..... seu per collata populi, « vel de comparatu aut de qualibet recta attractione..... Quidquid tam ex « alode quam de comparato, vel de quolibet attracto, seu ex munere regum « habere videtur, etc.³ »

Quin etiam, quum rex ecclesiæ aut monasterio terras, agros seu villas concedit, non hæc plerumque, sicut beneficia largiri videtur, sed « ut habeant et « possideant in omni integritate, jure proprietario, et ut ea cui voluerint ad « possidendum relinquant⁴. » Et tamen nonnulli illius generis *donationes in proprio, in integritate*, beneficia appellant, quorum opinionem admittere periculosum est⁵.

Præterea omnes terræ, quæ sunt infra fines immunitatis, non jure proprietario semper possidentur ab illo cui concessa fuit immunitas, quum civitates

¹ D. Bouquet, t. V, p. 705, 716, 727, etc.

² Bal. t. II, col. 1458, 1447, etc. — Marc., lib. I, *Form. 4, Confirmatio de emunitate*.

³ D. Bouq. t. V, p. 728, 716, 722, 733, etc.

⁴ Marc. form., lib. I, t. 17.

⁵ V. Guizot, *Essais*, p. 254, 4^e édition; etc., etc.

etiam, Turonensis, exempli gratia, Mettensis et aliæ, cum omnibus ibi degentibus, in immunitatis privilegio continentur, nec ideo vere ab episcopo civitatis possidentur: « Ut nullus iudex publicus in civitatem Metten-
« sem ingredi audeat¹ » Hæ civitates a dominatione aut jure iudicum publicorum in dominationem et jus episcopi transferebantur. In Lindenbrogii formulis hæc reperimus: « Venditio infra emunitatem ecclesiæ vel
« fisci. — Constat me tibi vendidisse infra terminum terræ sancti illius, in
« loco nuncupato illo, campum vel vineam juris mei habentem aripennes
« tantos. . . . salvo jure ipsius sancti². »

Quo mihi probari videtur in territorio immunitatis alios, quam immunem dominum, terrarum possessores fuisse: ceterum quæ sequuntur clarius adhuc ostendent hæc privilegia non ad possessionem tantum, sed ad dominationem pertinuisse, et duas res, quæ vulgo possessio et potestas vocantur, discernendas esse³.

Nullum jus exercere licet publicis iudicibus in homines, quales sint, qui intra fines immunitatis habitant: in Marculfi formulis et in plerisque chartis sic designantur: « Commanentes de ingenuis aut de servi-
« tibus, ceterisque nationibus quæ sunt infra agros vel fines; » et alias: « Homines ad se adspicientes vel pertinentes, tam ingenui quam servi. » In præceptis regum hæc et alia verba fere his similia passim reperiuntur, quæ formulas confirmant et interpretantur: « Franci vel servi; — accolæ,
« mancipia, liti, inquilini, beneficia ingenuorum. — Homines ministeriales,
« liti, servientes vel accoloni; — Cellulæ, vici, seu villæ quas sub sua,
« sive canonicorum, vel vassalorum suorum ac aliorum sibi vel ecclesiæ
« suæ devote famulantium, tam liberorum quam servorum, potestate vel
« ditione habere noscitur. — Maneant omnes seu liberi seu servi, immu-
« nitatis munere, ad potestatem rectoris adspicientes, absoluti⁴. — Homines
« ejusdem monasterii, sive liberi qui *beneficia exinde habere, vel super*
« *ejus terras commanere noscuntur, sive coloni vel servi* ad eum juste
« pertinentes, a cunctis publicis obsequiis ad nos pertinentibus immunes
« sint⁵. — Pippinus sub mundeburdo suo recipit et immunitate largitur
« abbatem Anisolensem (in pago Cenomannico) vel ipsum monasterium una
« cum omnibus vel hominibus suis, amicis, gasindis, susceptis, etc.⁶ »

1 D. Bouq., t. V, p. 728.

2 Lindenbr., form. 131.

3 Hinc verbum illud, hoc tempore usitatum, *res suas potestative possidere*. D. Bouq., t. V, p. 775. — Vid. Pardessus, *des Justices patrimoniales*: Qui, mea saltem sententia vim et naturam immunitatum non omnino intellexit: hic jurisdictionem patrimoniale, privilegio regis concessam, ad terras tantum pertinuisse, quas in proprio seu in beneficio possidebat immunis, affirmat, sed non probat.

4 D. Bouq., t. VIII, p. 596.

5 D. Bouq. t. VI, p. 564.

6 D. Bouq., *passim*.

Multa inter alia exempla, hæc tantum afferre satis fuit : quum sancti Richarii bona enumerantur, jubente Ludovico pio imperatore, anno 831, descriptio fit « in primis, de ecclesiasticis rebus et sic de prædiis et « possessionibus, sive et de vassallis, qui ex eadem abbazia beneficia « retinebant : » denique hæc legimus : « Recitemus illorum nomina qui ex « S. Richario beneficia retentabant, quique cum sibi subditis militibus « nostro abbati et ministris ecclesiæ nobiliter satis serviebant terra marique... « Hæc sunt nomina militum monasterio famulantium, quos ubique abbas, « vel præpositi secum ducebant, quique consuetudinaliter in die festi S. « Richarii, et in Nativitate Domini semper monasterium aderant, accurate, « prout quisque poterat, ornati, et ex sua frequentia regalem pene curiam « nostram ecclesiam facientes¹. »

Alias hæc insignia verba reperimus, quibus describitur familia quædam : « Prima ministerialis, quæ etiam militaris recte dicitur, adeo nobilis et « bellicosa ut nimium liberæ conditioni comparetur. Secunda vero censualis « et obediens, permagnifica et sui juris contenta. Tertia nihilominus est, « quæ servilis et censualis dicitur. Sed tamen omnes sub dominio Episcopi « et ab ipso rectoris constituti consistunt². »

III. — Immunitatis privilegio terræ quædam et homines super eas manentes iudicium publicorum jurisdictioni auferuntur. — De iudiciis publicis et de eorum officiis.

In eo præsertim constat vis immunitatis, quod intra fines privilegio regis determinatos nullum jus exercere possint iudices publici ; « nullus iudex « publicus, nullus judiciaria potestate accinctus, nulla publica judiciaria « potestas ingredi audeat, etc. — Remota totius judiciariæ potestatis « inquietudine. — Absque introitu iudicum vel fisci publici repetitionibus. — « Remoto fisci dominatu. — Nullus comes in ipso monasterio ullum sibi « imperium vindicare præsumat, etc. » Hæc etiam verba passim occurrunt : « Nullus ibi aliquam dominationem aut tyrannidem potestatem exerceat. »

Quis autem his in temporibus iudex publicus esset, dicendum est. Primum animadvertam, omnibus fere verbis, quibus potestas quædam aut

¹ *Chronicon Centulense*, apud Acherium, in *Spicil.*, t. III, p. 310.

² Marten., *Anecd. thes.*, t. III, col. 1128.

imperium quodlibet nominatur, apud scriptores mediæ ætatis, res duas vel plures significari: sic *honor*, *potestas*, *advocatia*, *vicaria*, etc. Tum gradum sive officium, tum officii fructus, emolumenta designant.

Non igitur iudices appellantur ii solum, qui jus dicere solent; sed omnes, qui imperio quolibet ornantur, qui partem quamlibet publicæ auctoritatis exercent, ut præsertim inde census, tributa aut fructus percipere possint. Jam plerique romanarum provinciarum rectores hoc nomine designantur, et imprimis qui vectigalibus colligendis operam dabant: « Iudices, ait Cujas, id est præsides quorum munus est tributorum exactioni incumbere. » Eidem pariter *agentes* aut *exactores* dicuntur: ex quo fit ut tributa quæ percipiunt, nonnunquam *actiones*, *exactiones* aut *justitiæ* appellentur¹.

Sub regibus primæ et secundæ stirpis hos reperimus iudices, iisdem ornatos muneribus, violentius solummodo, ut barbaros victores decet, potestatem suam exercentes: hoc nomine vulgo designantur quicumque parte qualibet publicæ auctoritatis potiuntur.

« Ut nullus iudex publicus aut quislibet superioris aut inferioris ordinis « reipublicæ procurator. — Ut nullus judiciariæ vel fiscalis potestatis aut « etiam quælibet reipublicæ administratio². »

Commanentes seu discurrentes erant: 1^o In formulis et in chartis sub nomine commanentium iudicum videmus, episcopos, abbates, sed præsertim duces, comites, graffiones, vicecomites, patricos, tribunos, vicarios, centenarios, domesticos, vel amicos aut vassos principis, telonearios, etc., hæc etiam occurrunt: « Ut nullus iudex publicus, non Imperator, non Rex, « non Episcopus, non Comes aut judiciaria potestas, etc. »

2^o Iudicum seu missorum discurrentium nomina sæpissime leguntur: provincias percurrere solebant, ut commanentium iudicum administrationem dirigerent, justitiam cuique reddendam curarent, et præsertim ut ad regem deferri juberent tributorum partem debitam, a comitibus, vicariis, teloneariis percepturam.

Non unius generis erant missi discurrentes: Carolo Magno florente, majores missi, seu Missi Dominici, singulari potestate ornati sunt, ut regiam auctoritatem, regalia jura strenue tuerentur, quorum etiam, ut omnibus notum est, male cessit irritus labor. Inter missos discurrentes *juniores* non omitam, quorum sæpissime fit mentio in chartis immunitatum: olim prætores romani, proconsules, aliique iudices ibant circumdati comitatu parentum, amicorum, clientium, per quos provinciarum populos exactio-nibus suis exercebant. Apud Barbaros, isti *juniores* appellantur, non ætatis sed honoris causa, quum comites et iudices superioris ordinis *seniores* etiam

¹ Bignonii *notæ ad Marculfum*, apud Bal., t. II, col. 892.

² D. Bouq., t. VIII, p. 452.

dicuntur¹: hi sunt vicarii, centenarii, venatores, castaldii, missi denique discurrentes, etc. Potestatem et potestatis fructus cum majoribus iudicibus partiuntur; cum illis ubique consociantur; Carolus Magnus Missis Dominicis indicat quot homines secum habeant, et prohibet ne sibi faciant socios homines inferioris ordinis². Præcipit ut comites et centenarii juniores tales in suis ministeriis habeant, in quibus securi confidant, etc. Postea nonnunquam *servientes* (sergents) dicuntur. Sæpe etiam potentis cujusdam comitatus *arimannia* vocatur; quam reperimus sub nomine corrupto *meignerie* vel *mesgnie*.

Constat autem hos iudices, cujuscumque gradus essent, semper præcipuam operam dedisse ut subditos homines opprimerent spoliarentque. Carolus ipse Magnus has iudicum deprædationes reprimere frustra conatus est: itaque, ut videbimus infra, pleræque harum rapinarum fient *consuetudines*, et inter ea, quæ *jura feudalia* nominantur, reperientur.

Hic tantum animadvertam, iudices præsertim his in temporibus fiscales magistratus fuisse: « Si quis iudicem fiscalem, quem comitem vocant, inter-
« fecerit..... » Alias, comes seu grafio iudex fiscalis vocatur³: « nullus iudex
« fisci nostri: ut singuli comites et exactores reipublicæ. — Petens Pippinus
« ut res ecclesiarum sub immunitatis nomine conservatæ esse deberent, et
« iudices ac exactores in supradictas res mittere non deberet⁴. »

Quum immunitatis privilegium publicorum iudicum potestati homines et terras subtrahit, operæ pretium est hic saltem paucis indicare verbis, quæ præcipua essent eorum officia.

Comes variis rei publicæ muneribus fungitur, quæ nunc inter plures magistratus dividuntur: cujus auctoritas, *judiciaria dignitas vel potestas* appellatur⁵: cujus officium, hæc verba, *actio, regimen, gubernatio*, designant; sub jure dominationis suæ regit pagum seu comitatum, id est antiquæ civitatis territorium, et omnes *ibidem commanentes, Francos, Romanos, Burgundiones et reliquas nationes*, qui sæpe homines *de potestate* vocantur.

Homines ad expeditionem convocat et in exercitum ipse ducit; militari imperio fungitur.

Justitiæ cuique reddendæ præest; sententias exsequi curat, multas percipit.

Pacem publicam protegit, viduas, pupillos, debiles tuendo, latronum et malefactorum scelera reprimendo.

¹ Bignonii notæ ad Marc., apud Bal., t. II, col. 870: Cangius, v^o Junior.

² Bal., t. I, c. 594, 476. D. Bouq., t. V, p. 659.

³ *Lex Rip.*, tit. 55, 51, 88, 89.

⁴ D. Bouq., t. V, p. 747. — *Bignon. ad Marc.*, ap. Bal., t. II, c. 890. — *Fredeg. cont.*, apud D. Bouq., t. V, p. 4.

⁵ Cangius, v^o Comes, *Comitalis potestas*.

Denique singulis annis in regis ærarium inferre jubetur, quidquid de ipsa actione in fisci ditionibus speratur¹.

Non autem comites ad fiscum omnia quæ percipiebant detulisse videntur; partem quamdam, ut muneris sui pretium, sibi retinere solebant:

« Neque a comitibus plus studeatis quam lex et consuetudo fuit tempore patris vestri, de hoc quod de Francis accipiunt, exquirere². »

Illis vulgo concedebatur pars tertia ex omnibus publicis tributis quæ per se ipsi aut per agentes colligebant: « Juxta partem suam accipiat de causa quam judicavit³. »

« Ut non per aliquam occasionem heribannum comes exactare præsumat, nisi missus noster prius heribannum ad partem nostram recipiat, et ei suam tertiam partem exinde per jussionem nostram donet⁴. »

« De compositionibus, quæ ad palatium pertinent, si comites ipsas causas commoverint ad requirendum, illam tertiam partem ad eorum recipiant opus, duas vero ad palatium, etc.⁵ »

Hæc consuetudo diutius permansisse videtur, quum nonnunquam advocatos, præpositos, aliosque privatos judices reperimus, hac tertia censuum vel fructuum, quales sint, parte donatos. *Nullum servitium aliud, jus, aut beneficium sibi advocato pro hæc concedi recognoscat, nisi tertium bannum et consuetudinariam justitiam, et legem quam ceteri advocati in liberis monasteriis habent*⁶.

Decimo autem sæculo, non solum reges munera publica, cui voluerint, conferre jam nequeunt, quæ a potentibus viris jure hereditario possidentur, sed jam nulla est hæc tributorum pars regia, quæ nusquam reperitur⁷.

Innumeræ regum nostrorum immunitates non parum effecerunt, ut his opibus ceterisque dominationis utilitatibus paulatim fuerint spoliati: quæ omnia ex ordine expendere aggrediar, quum singulas præceptorum immunitatis partes explicare et interpretari mihi in animo sit.

¹ *Charta de ducatu, patriciatu vel comitatu*, apud Marculf., lib. 1, f. 8.

² Bal., t. II, c. 116.

³ *Lex Baj.*, apud Eal., t. I, col. 106.

⁴ Caroli Magni leges Langob., 128.

⁵ Bal., t. I, col. 259, capit. anno 795.

⁶ *Trithemii chronicon*, ap. Hauteserre, de *Ducibus*, p. 51.

⁷ Vide Richer *Hist.*, passim.

CAPUT SECUNDUM.

I. — De tributis aut censibus sub Regibus primæ et secundæ stirpis.

Fatebor hic inesse maximas operis mei difficultates, tam ex ipsis rei tenebris, quam quod doctissimorum scriptorum opinioni contradicere mihi necesse sit.

Hæc verba, *redhibitiones*, *retributiones*, et alia quæ passim nobis occurrunt, *requisitiones*, *consuetudines*, etc., quamvis per se satis obscura sint, mihi plerumque designare videntur tributorum, vectigalium quodvis genus, quæ homines, rei publicæ, id est fisco, parti regiæ vel comitibus, pendere solebant.

Hæc vero redhibitiones pro privatis censibus non haberi possunt, quum semper, ut ita dicam, nec immerito, publicæ appellantur :

Duo vectigalium genera comprehendunt, tributa aut census et telonea. Plerique scriptores, qui primis historiæ nostræ temporibus studuerunt, apud Carolingos publica tributa exstitisse negaverunt. Celeberrimus omnium, nec mediocriter aliorum contemptor, affirmavit, Romano corrueute imperio, publicorum molem tributorum omnino corruisse; et hanc opinionem, debilibus, ut mihi videtur, argumentis defendere conatus est¹. Quam tamen fere omnes susceperunt, et in verba magistri jurare certatim nisi sunt. Sic, ut alios omittam, eloquentissimus in hac Parisiensi Academia professor, absurdum esse declaravit, si quis crederet, everso imperio Romano, tributum quoddam, nisi a colonis, datum fuisse possessoribus terrarum quas colebant². Et eruditissimus veterum chartarum et polyptichorum investigator hæc fere addidit : « Quum Germanæ gentes Galliam armis occupaverint, prisci terrarum possessores, novis bonorum dominis, ut villici (comme des fermiers) quosdam solverunt census; qui, quum volventibus annis seniores (seigneurs) facti sint, hos census ab iisdem, ut a villanis (villains) acceperunt³. »

¹ Montesquieu, *Esprit des Loix*, liv. xxx, ch. 15.

² Guizot, *Essais*, p. 94-171.

³ Guérard, *Cart. Sancti Petri*, p. cxiv.

Quæ vero sint eorum argumenta? Germani publicanorum artis omnino rudes erant; et bellorum aut venationum amantissimi, nec scientia nec studio, vectigalium Romanorum peritissimam administrationem defendere valebant. Simples enim ingenio et indocti, quid esset res publica, ignorabant: ab omni tempore, tributorum quorumlibet immunes, quin etiam ignari, sibi crudellem inferri injuriam credidissent, si quis tributorum pondus illis imponere voluisset. Nullum igitur publicarum exactionum, in Gallia a barbaris gentibus subacta, vestigium reperire est¹.

Non sane mihi in animo est negare, victores omnino tributorum immunes fuisse, quum, jam stante Romano imperio, multi sive milites, sive publicis ornati muneribus, tributorum pondere levarentur. Sed probare necesse esset, omnia vectigalium genera quibus oppressæ Galliarum gentes gemebant, subito ac penitus ablata fuisse; quum contra ubique legimus Germanos, prædarum ac tributorum avidissimos, multo magis devictos populos exactionibus suis exercuisse, quam terras eorum colendas occupavisse. Etenim rerum Romanarum non adeo erant ignari, ut plerisque visum est; quum Galliam per ducentos annos incursionibus continuis populati essent, quum multi etiam gradus in exercitibus romanis aut magistratus in officiis palatii obtinuissent.

Vir eruditissimus firmis, ut mihi videtur, argumentis, tributa publica, sub dominatione Merovingorum regum adhuc exstitisse demonstravit: nescio quid melius, post illius librum, de hac re scribi posset. Sed hæc ipse addidit: « Publicum tributum periit inter tumultus quibus eversa est stirps « prima regum nostrorum. » Quod asserit, et nullo confirmat testimonio².

Publicum autem tributum non ita facile evanescit, ut nullum etiam relinquat sui vestigium: dein qua causa fieri potuisset, ut Merovingorum ruina liberarentur homines vectigalibus quæis onerabantur? Profecto talis eventus memoria apud scriptores illius ætatis fuisset consignata: num vero ostendere fas est, vel paululum interrupta fuisse mala et gravissima populorum onera?

In libris, capitularibus vel chartis hæc verba passim occurrunt, « tributum, census, fiscus, exactio, functio publica, prædium tributarium, terra « censalis, pars regia, pars fiscalis, pars judiciaria, redhibitio de parte fisci « regalis, consuetudo, etc., etc. »

Hoc sane mirum admodum esset, si tunc temporis nullum tributi publici genus exstisset. Quomodo interpretaremur tot alia hujus ætatis verba, quæ facillime intelliguntur, si publica tributa tum etiam exacta fuisse fateamur:

« Possessiones ad religiosa loca pertinentes nullam descriptionem agnoscant, nisi ad constitutionem viarum vel pontium.

¹ Montesquieu, *Esprit des lois*, liv. XXX, ch. 12.

² Lehuërou, *Instut. Méroving. et Inst. Carol.*, p. 480.

« Inbreviator sive descriptor stipendiorum regaliū et relator a Domino rege sum constitutus.

« Exactor, conductor publicarum rerum, vectigalium magister.

« Quidquid provincialibus per Beneficium principis tributorum fuerit relaxatum, ab exactore non requiratur.

« Exactor fiscalium præstationum, regiarum annonarum, rerum publicarum, rei publicæ.

« Ut scriptoribus publicis nullatenus interdicatur res arimannorum transcribere, si quando eis fuerit opportunum. Quod si occasione vitandi exercitus, aut placitum venditæ fuerint, etc.¹ »

Quid significare possent hæc verba, *inferenda, transtura*, et cetera ?

« Quicumque vicarii, vel alii ministri, tributum, quod inferenda vocatur, majoris pretii a populo exigere præsumperint quam a Missis genitoris nostri constitutum fuerit, hoc est duos solidos pro una vacca ; hoc quod injuste superposuit, et abstulit, sibi que retinuit, his quibus hoc tulit cum sua lege restituat, et insuper fredum nostrum componat et ministerium amittat². »

Dicunt autem nonnulli, his in temporibus censum pendere et esse servum, unum et idem fuisse : quorum assertio non facile defendi potest. Etenim, ut cetera omittam, quæ mox alium ad usum afferam, quum Ludovicus pius jubet « ut de uno manso ad ecclesiam dato nullus census de presbyteris requiratur, » non sane servos hoc capitulo tributorum immunes reddit : quum Salomon dux et Britanni Carolo Calvo *censum illius terræ solvere* promittunt, non se servos esse regis fatentur³.

At alii prudentiores arbitrantur, in ætate Caroli magni *colonos homines* solum census solvisse regi *propriario* aut ceteris allodiorum beneficiorumve possessoribus ; et census illos, non publicos aut fiscales fuisse, sed domesticos, et, ut ita dicam, privatos. Quis autem nobis demonstrabit omnes Galliarum terras a victoribus ita fuisse occupatas, ut ejectis omnibus priscis possessoribus, eas colonis distribuerent, qui privatos census inde solverent dominis ? Cur sub regibus primæ et secundæ stirpis, præter hos census privatos, hæc domestica munia, reperimus tributa publica, quæ nullo modo terræ colendæ pretium esse videntur, seu Principi, seu Comitibus, seu potenti cuilibet data ? Cur functiones publicæ, publica officia undique apud auctores hujus ætatis occurrunt ?

Sed plenius probandum est vectigalia quædam tum exstitisse, quæ terris aut hominibus incumbabant, a iudicibus publicis percepta et ad fiscum

¹ Bal., t. I, col. 941, 903, 944 ; t. II, col. 615, etc. Cangius, v° *Exactor*, v° *Hermanni*.

² D. Bouq., t. V, p. 756, 757.

³ Mont., *Espirit des lois*, liv. xxx, ch. 15. — Capit., anno 816, § 10. — *Annales Bertin.*, ann. 863.

regium delata; quorum, privilegio regis, immunitas sæpe concedebatur, quum ubique hæc verba legimus « absque introitu judicum, vel publici fisci « repetitionibus : remoto fisci dominatu. — Non freda aut tributa iudices « exigant. Non freda aut telonea aut mansiones aut pastus aut tributa; nullas « publicas functiones aut redhibitiones, etc. — Ab omni judiciaria exactione « immunem, liberumque reddere...¹. »

Hic mihi visum est pretium curæ, nonnulla afferre tributorum publicorum exempla, quum nulla sit alia ratio certior demonstrandi quæ modo asserui :

« Nullus Comes ullum censum de terra Sanctæ Mariæ accipiat, nec de « familia ipsius ecclesiæ, neque de aliis liberis hominibus, vel incolis, qui « rustice Albani appellantur, in ipsa terra manentibus, et nullam inquietu- « dinem vel dominationem seu ullum bannum contra legem, vel illicitam « occasionem facere studeat, etc. — Neque de his hominibus (liberis scilicet) « aliquem censum vel aliquam redhibitionem aliquis de capite eorum accipere « præsumat, quæ a longo tempore dare consueverant, et futuris temporibus « persolvere debent². »

« Carolus Magnus villam Fontejoncosam per donum suum concedit fidei « suo Johanni, ut habeat ille et posteritas sua *absque ullo censu* aut inque- « tudine. » Hanc donationem confirmat Ludovicus imperator, anno 815, et postea Carolus Calvus, anno 844, et iisdem utuntur verbis³.

Carolus Magnus octo Comitibus scribit : « Ut neque vos, nec juniores « vestri memoratos Hispanos nostros.... nullum censum superponere præsu- « matis⁴. »

« Donamus, inquit Ludovicus Pius, ad præfatas basilicas in eodem pago « de proprio nostro ad unamquamque mansos duos, cum superstantibus « duobus tributariis... eo videlicet modo, ut quidquid iidem tributarii in « censu vel tributo solvere debent, hoc totum ad partem earundem ecclesia- « rum omni tempore persolvant. »

Fateor istos tributarios facillime pro colonis haberi posse : sed, si census solummodo terrarum possessoribus, sicut coloni, pendere solerent, nescio qua causa Ludovicus hæc verba addidisset, quæ penitus essent inutilia :

« Præcipimus atque iubemus ut, sicut constat ab eisdem principibus vallis « Reumagensis cum hominibus ibidem commanentibus vel adspicientibus « præfato concessa monasterio, ita abhinc nostris futurisque temporibus per « hanc nostram auctoritatem permaneat confirmata, et sic a rectoribus vel « ministris præfati monasterii cum tributo et hominibus commanentibus,

¹ D. Bouq., t. V et VI, passim.

² Bal., t. II, col. 1418, 1419. — D. Bouq., t. VI, p. 524.

³ Bal., t. II, col. 1400, 1445.

⁴ Bal., t. I, col. 500.

« publicis videlicet, firmiter teneatur atque possideatur, sicut olim a jure fisci
« possessa vel dominata fuit¹. — Donamus homines *ingenuos quinque cum*
« *filiis et posteris eorum* commanentes in loco nuncupante..., videlicet ut
« illud quod ad partem *publicam* facere consueverant, ad prædictum monas-
« terium fecissent. — Obsecrans ut præfatæ ecclesiæ quosdam *liberos* homines
« duodecim numero sibi utiles, in eadem valle commanentes, *a publico*
« *immunes* esse concederemus². »

« Inquisivit S. Magnus quomodo in vicina loca potuisset tributarios invenire
« in eodem pago, qui vectigalia annuatim redditibus regiis inferre deberent³. »

Si Capitularium libros evolvimus, hæc nobis occurrunt : « de tributis et
« censibus vel metallis, quidquid in eorum potestate exigi vel haberi potuerit,
« ipsi habeant⁴. — Census regalis, undecumque legitime exiebat, volumus
« ut inde solvatur, sive de propria persona hominis, sive de rebus. — Ut
« Missi nostri census nostros diligenter perquirant, undecumque antiquitus
« venire ad partem regis solebant. — Omnia debita quæ ad partem Regis
« solvere debent, solidis duodecim denariorum solvunt, excepto Freda,
« etc⁵. »

Plures autem affirmaverunt, hic tantum designari terras privato censui
obnoxias, aut colonos qui dominis suis terrarum possessoribus domestica
tributa solvebant, quum regis villæ, quamvis sint privatæ possessiones,
sæpiissime, verborum usurpatione, publicæ appellentur.

Quomodo autem hæc capitula interpretabuntur, qui sic judicant?

« Ut de rebus unde census ad partem regis exire solebat, si ad aliquam
« ecclesiam traditæ sunt, aut tradantur propriis hæredibus, aut qui eas
« retinuerit, illum censum persolvat⁶. »

Profecto servus aut etiam colonus tributariam terram quam a domino
suscepisset colendam, sic tradere non potuisset⁷ : hæc res, unde census ad
partem regis exhibant, non regis erant possessiones, fisci, quum alii cuilibet,
vel inscio rege, concederentur, dummodo novus possessor census publicos
persolveret.

« Quicumque terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire
« solebat, vel ad ecclesiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam susce-
« perit, tributum quod inde solvebatur, omnimodo ad partem nostram per-

¹ D. Bouq., t. VI, p. 655, 644.

² D. Bouq., t. VIII, p. 366, 370.

³ Theodor. Campendonensis, *de S. Magno*, cap. 25.

⁴ Ludovici imp., Capit. Aquens., anno 817.

⁵ Bal., t. I, col. 590, 598, 428, 498, 737, 760, 770, etc. — D. Bouq., t. V, p. 662.

⁶ Bal., t. I, col. 498, 770, etc.

⁷ Etenim qui censum pro terra solvit domino possessori, eam nec *vendere*, nec *donare*,
nec *concombiare* potest. — Vide Lindenb., form. 49.

« solvat, nisi talem firmitatem (immunitatem scilicet) de parte dominica
« habeat, per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere¹. »

Hæc verba attentius expendere necesse est : quid enim clarius esse posset ?
Nonne ibi invenimus : 1^o Terras quæ non a rege tenebantur, et quæ tamen
ad partem regis tributum persolvere solebant ; 2^o Immunitatis privilegium,
quo regis munificentia tributum sibi debitum largiebatur.

Testimonia autem alia adjiciam, ut quidquid asseruerim melius confirmem :

« Placuit nobis ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob
« vitandam reipublicæ utilitatem, fraudulenter ac ingeniose res suas eccle-
« siis delegant, easque denuo sub censu utendas recipiunt, ut quousque res
« suas possident, hostes et reliquas publicas functiones faciant². »

« Ut illi Franci, qui censum de suo capite vel de suis rebus ad partem
« regiam debent, sine nostra licentia ad casam Dei vel ad alterius cujuscumque
« servitium se non tradant, ut respublica quod de illis habere debet non
« perdat... Quod si contra bannum nostrum fecerint, qui eos receperint, si
« ipsos in suo servitio habere voluerint, vel illorum res de quibus census ad
« partem regiam exiebat tenere voluerint, censum, quem ipsi Franci debe-
« bant, vel qui de illorum rebus exire solebat, ad nostram regiam partem
« component. » — « Si quis de talibus Francis de suis rebus tradere vel
« vendere voluerit, non prohibemus, tantum ut jus regium, quod sibi
« debetur, sine ratione non perdat³. » Non equidem intelligo quomodo
hæc verba colonos designarent, qui, propter terras colendas, dominis suis,
vel regibus, censum persolvere cogerentur.

« Videtur nobis, ut quicumque liber homo ingeniose in servitium alicujus
« se tradiderit, is qui eum recipit, hoc quod ille qui in servitium se tradit, in
« publico per antiquam consuetudinem facere debuit, adimpleat⁴. »

Ceterum, ubique talia regum jussa reperimus, quæ, ut suo loco videbimus,
nobis ostendunt publicas functiones ab omnibus desertas, et plerosque
tributorum onus quacumque ratione rejicere volentes.

« Si memoratus ille, inquit vetus formula, de caput suum bene ingenuus
« esse videtur, et in poleptico publico census non est, licentiam habeat
« comam capitis sui tonsorare⁵. » — « Hi, quos publicus census spectat,
« sine permissu Principis vel Judicis, se ad religionem sociare non
« audeant⁶. »

¹ Bal., t. I, col. 611.

² Bal., t. II, col. 324.

³ Bal., t. II, col. 187, 198.

⁴ Hlotarii I, imp., cap. gen., ann. 825.

⁵ Marculfi, lib. I, form. 19.

⁶ Flodoard, *Hist. Remensis*, II, c. 5.

Multa alia possem afferre exempla, e capitularibus aut illius ætatis scriptoribus desumpta, nisi lectori tædio esse timerem : hæc tantum adjiciam.

« Ut Missi nostri de omnibus censibus vel paraveredis, quos Franci homines « ad regiam potestatem exsolvere debent, inquirant, et ubi per neglectum « dimissum est, exsolvi faciant... Similiter et de terris censalibus et de rebus « ad easas dei traditis, unde census ad partem regis exivit antiquitus¹. »

Itaque arbitramur, a Romanis usque ad tempora Caroli Magni, liberos homines exstitisse, qui censum de capite aut de rebus, ad partem regiam, consuetudine antiqua, persolvere solebant, quamvis præcise non possimus definire quo modo hoc tributum regeretur. Sæpissime illi homines in formulis, capitularibus, chartis, liberi; aliquando etiam, nec proprie, servi vel servientes dicuntur: « quidam Comites nos consuluerunt de illis Francis « hominibus, qui censum regium de suo capite et de suis rescellis debebant, « qui tempore famis se ipsos ad servilium vendiderunt². »

Nonne censum istius generis requirebant Comites ex advenis quos, temporibus Caroli Calvi, Britones et Nortmanni spoliatos depulerant? « Ut qui, « ab illis quos Nortmanni vel Brittones adfixerunt, et ideo mendicando in « istud regnum venerunt, vel qui propter afflictionem Aquitanicam huc vene- « runt, censum vel operationes exegerunt, hoc cum sua lege emendent³. »

Hic autem census non a colonis aut servis pendebatur, propter terras quas colebant, quum, infelices advenæ, omni ope destituti, nihil prorsus jam possiderent : Carolus Calvus eos jubet tributorum immunes esse, quia pauperes sunt, sicut, sub prima regum nostrorum stirpe, *viduas, orphanos, aliasque debiles personas*, simili donatas immunitate reperimus⁴.

Denique Carolus Magnus, propter magnam famem, anno 779, et Carolus Calvus, ut pecunia Nortmannorum recessum emeret, quædam tributa omnibus terrarum possessoribus imposuere : hæc autem tributa, secundum dignitatem hominum aut honorum conditionem, constituuntur⁵.

Hinc animadvertere mihi licebit :

1^o Publicum tributum his in temporibus consuetum supponere haud absurdum esse, quamvis hoc uno argumento, fateor, illud exstitisse non probetur.

2^o Tributum indicere, partiri, exactare non adeo rem fuisse difficilem et barbaris gentibus repugnantem, sicut plerique scriptores affirmare non dubitaverunt: verba enim expendamus annalium hujus temporis: « Karlus rex « exactionem de thesauris ecclesiarum et omnibus mansis ac negotiatoribus « etiam paupertinis, ita ut etiam domus eorum et omnia utensilia adprecia-

¹ Bal., t. II, col. 498.

² D. Bouq., t. VII, p. 665. — Bal., t. II, col. 192, etc.

³ Bal., t. II, col. 69.

⁴ Greg. Tur., lib. IX, c. 50; lib. V, c. 27.

⁵ Bal., t. I col. 199, t. II, col. 257. — Lehuërou, *Inst. Car.*, t. II, p. 551, 552.

« rentur, et inde statutus census exigeretur, fieri jubet¹. » « De unoquoque
« manso ingenuili exiguntur sex denarii, et de servili tres, et de accola unus,
« et de dnobus hospitiliis unus denarius, etc. » « Per omne regnum suum
« litteras misit ut episcopi, abbates et abbatissæ breves de honoribus suis,
« quanta mansa quisque habeat ad futuras kalendas maii deferre curarent,
« vassali autem dominici comitum beneficia, et comites vassalorum beneficia
« inbreviarent². »

Hoc tantum adjiciam : scriptores ipsi, qui tributum publicum Caroli Magni temporibus exstitisse negaverunt, non solum probanda affirmant, aut in errorem interpretandi delabi videntur, sed etiam sibi ipsi contradicunt.

Hic tributum publicum nullo modo apud Francos exactum fuisse declarat, adeo ut opinionem aliam absurdiorē dicere non dubitet; et tamen hæc scribit : « Prædia, agri, possessiones quarumdam ecclesiarum tributo levabantur regi debito. Theodebertus enim, rex Austrasiæ, hanc immunitatem
« concessit Arvernæ ecclesiis; Chilbertus Turonensis civitatis ecclesiis. » Quid inde concludere licet? Alio etiam loco tributum, quod vulgo *talliarum* nomine designatur, a Romanorum capitatione originem duxisse affirmat³.

Alter diversa publicorum tributorum genera non jam exacta fuisse, post excidium romani imperii, haud semel asserit : et tamen hæc dixit : « Homines
« liberi, qui capitis censum (capitationem scilicet) solvebant, id est, quatuor denarios singulis annis, variis nominibus designantur; sic capitales,
« capitalitii, homines de capite, capatici, cavaticarii vulgo dicuntur. » Atque hæc addidit : « Non constat multos homines huic tributo obnoxios
« fuisse ante nonum sæculum; saltem plerique eorum, qui antea illud
« onus sustinere videntur, inter colonos aut servos adscribendi sunt⁴. »

Nonne his verbis, *tributum de capite* liberis etiam hominibus incubuisse affirmat? Quo modo autem et quando rursus impositum et sic perceptum fuisset? Qua ratione omnes hunc censum quatuor denariorum expendere debuissent? Quo singulari omnium consensu, terrarum possessores eundem censum a colonis suis exegissent? Nonne hic antiquam Romanorum capitationem agnoscere licet, quæ diu persistit, donec privatum tributum fieret?

Quum doctissimos viros refutare mihi necesse est, gaudere et confidere haud absurdum reor, quod illustrissimum rerum nostrarum scriptorem huic opinioni quam defendo non adversarium reperiam : etenim hæc dixit, quæ me lingua latina deformare piget :

¹ *Annal. Trecent.*, a. 830.

² Hincmari Remensis annales, a. 866, 869. Legere etiam licet præcepta Caroli Magni, quibus omnia imperii beneficia et ipsa allodia *inbrevari* jubet. — Bal., t. I, col. 460, etc.

³ Guizot, *Essais*, p. 94, 112, 4^e édit. — *Cours d'hist. mod.*, 1829, 1850, 8^e leçon.

⁴ Guérard, *État des personnes et des terres jusqu'à l'établissement des communes*. — Id., *Cart. S. Petri*, p. XLIII, de *Capaticis*. — Cangius V^o *Capitale*, etc.

« C'est une question fort controversée, de savoir si l'impôt foncier, que
« les Franks ne payèrent jamais, fut aboli pour les Romains; on s'est décidé,
« en général, pour l'affirmative, et l'on a dit qu'après un temps plus ou
« moins long, les Romains se trouvèrent, comme les Franks eux-mêmes,
« exempts de taxes publiques. Cette assertion est, je crois, téméraire; il
« faudrait voir si l'impôt ne fut pas transporté plutôt que supprimé, et si ce
« qui, sous les empereurs, avait été payé au fisc, ne devint pas en beau-
« coup de lieux, sous les rois franks, une charge municipale¹. »

II. — Quinam hæc tributa parti regie solvebant: quinam autem his publicis censibus eximebantur. — Terræ de fisco regali. — Allodia. — Immunitates.

Quinam autem hunc censum de capite vel de rebus ad partem regiam præstare jubebantur? Respondere licet, omnes, ut olim, tributorum publicorum conditionibus fuisse subditos, nisi qui, seu originis munere, seu officiorum gratia, seu privilegio quodam a regibus nostris concesso, quadam fruerentur immunitate.

Tempore quo Romanum floreret imperium, omnibus devictarum provinciarum agris census imponebatur: « Vocantur stipendiaria et tributaria
« prædia, quæ in provinciis sunt. — In provinciis omnes etiam privati agri
« tributa atque vectigalia persolvunt, etc. »

Tum census immunes erant terræ fiscales, quæ imperatoris esse videbantur aut ab imperatore concessæ: item, terræ provinciarum aut locorum, qui jure italico regebantur: dein, prædia, quæ possidebant honorati, scilicet clarissimi, spectabiles, comites, senatores, quicumque judiciaria potestate fuerant ornati. « Præcipimus ut senatori in qualibet provincia
« constituto, nullam habeant judices injungendi aliquid publici muneris
« potestatem, etc.². »

Gallia autem a barbaris gentibus occupata, tributorum immunes reperimus:

1^o Terras de fisco regali, quæ conceduntur Fidelibus aut Ecclesiis, tum in beneficio, quum in integritate. Qua concessione, bona, quæcumque sint, omnino transmittuntur, et jam plenissimæ fiunt possessiones; quod a plerisque non animadversum est, quamvis ex formulis veteribusque chartis satis appareat:

¹ A. Thierry, *Récits mérovingiens*, t. I, p. 249.

² Cod. Justin., lib. XII. — Cod. Theodos., lib. VII, tit. 15.

« Cognoscat magnitudo vestra nos inlustri viro illi villa nuncupante illo,
 « sita in pago illo, cum omni merito et termino suo, in integritate, sicut ab
 « illo aut a fisco nostro fuit possessa,.... ut ipsa villa antedictus vir ille, ut
 « diximus, in omni integritate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus,
 « mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, agris, aquarumve
 « decursibus, appendiciis, vel qualibet genus hominum ditioni fisci nostri
 « subditum, qui ibidem commanent, in integra emunitate, absque ullius
 « introitu iudicium, de quaslibet causas freda exigendum, perpetualiter
 « habeat concessa....¹. »

Ab opinione multorum dissentiens, censeo reges nostros sæpissime terras sic in integritate concessisse, ut jure proprietario possiderentur, quas possessoribus cui vellent ad possidendum relinquere poterant: quod frequentissimis exemplis probare haud difficile esset. Parte alia, quum terræ a regibus concederentur, non ideo, ut quibusdam placuit, immunitas ab omnibus publicis functionibus aut jurisdictione tribuebatur: etenim cur in concessionum præceptis hanc immunitatem in extenso transcribere adeo diligenter curarent; cur autem tot inveniremus terrarum donationes, in quibus nullum immunitatis cujusdam vestigium deprehenditur²?

Hic igitur, ut sæpius alias, possessionem a dominatione separandam esse reor, et licet jungantur nonnunquam, non tamen confundi debent.

2^o Terras, quæ vulgo *allodia* vocantur, quum e terris fiscalibus, ut præmium victoriæ, concessæ fuerint, aut militum essent possessiones. « Allo-
 « dium prædium hæreditarium, liberum, immune, omni onere solutum. —
 « Est allodium naturaliter, ab antiquo nullam omnino cuiquam reddens con-
 « suetudinem, eidemque a progenitoribus jure hæreditario contingens³.
 « — In hac hereditate, quam dono Deo et S. Mauro, comes neque vicecomes
 « nec ulla secularis persona aliquam consuetudinem accipit⁴. »

Quamvis multa præclare scripta sint de allodiis, hic animadvertendum esse censeo, non hominem possessorem, sed possessam terram hac immunitate attingi; itaque videre est in scriptoribus mediæ ætatis et præsertim in polyp-
 ticiis, hinc allodia ab omni censu libera, illinc allodiorum possessores omnibus privatis oneribus gravatos.

Ceterum duo genera allodiorum exstitisse mihi videntur, sub primæ et secundæ stirpis Regibus: Allodium, cui cohæret jurisdictione, quod plerumque nobile dicitur, ut solent esse donationes regum in integritate, et possessiones plena immunitate ornatæ: Allodium sine jurisdictione, quum illius possessor non aliarum publicarum functionum, nisi tributorum immunis

¹ Marculf, lib. I, for. 14, 17.

² V. d. Bouq., t. V, *passim*, p. 702, 756, 757, etc. — Bal., t. II, col. 1440, 1475, 1488, etc.

³ Cart. de l'abbaye de Vendôme, cité par Henrion de Pansey. — *Dissertations féodales*.

⁴ Bal., t. II, col. 1456.

esse videtur. Sic in celeberrimo Ludovici pii pro Hispanis præcepto, legimus homines, census immunes, iudicum tamen publicorum potestati omnino subditos fuisse¹. Sic in provinciis, quæ quondam jure italico regebantur (Languedoc, Dauphiné, Lyonnais, etc.), eadem est terrarum conditio². Sic in plerisque regionibus, quas occupaverunt Burgundiones et Wisigothi, barbarus hospes, divisus agris, sibi prædiorum partem retinuit, quæ vulgo *sors barbarica* appellatur; dum romanus possessor partem reliquam, tributorum immunem, sub nomine *romane sortis*, retinuit.

Itaque multos reperire est, qui, quum allodia tenent, omnia tamen publica onera subire coguntur, et qui facillime a potentibus aut a iudicibus ipsis oppressi, tutelam periculosam et onerosam, vel inviti, apud seniores requirunt³.

3^o Denique terras census immunes reperimus, quæ, munere regum, privata tributorum immunitate fruuntur.

III. — *Varia immunitatum genera.*

Plura autem immunitatum genera distinguere necesse est: aut tributum, antea Regi debitum, ipsis terrarum possessoribus omnino remittitur, et nihil jam, nec fisco, nec cuiquam penditur: « Ecclesiarum census, id est, nec « pascuaria infra eorum terminos vel villas, nec telonea infra comitatum in « quo consistunt, nec alia quælibet redhibitio neque a Comite neque a « junioribus aut ministerialibus ejus deinceps ab illis exigatur⁴. »

Comes quidam, nomine Rapo, terras monasterio Balneolensi concedit, et Ludovicum imperatorem rogat, ut novum terrarum possessorem sub munde-burdo constituat, et tributorum immunem in posterum præstet⁵.

Firmitas autem appellari solebat hoc principis privilegium: « tributum, « quod inde solvebatur, omnimodo ad partem nostram persolvat, nisi forte « talem firmitatem de parte dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi « perdonatum possit ostendere⁶. »

¹ Bal., t. I, col. 540.

² Turnèbe, cité par Salvaing, *De l'Usage des Fiefs*, ch. 32. — A. Thierry, *Récits mérovinges*, t. I, p. 223, etc.

³ Guérard, *Polypt. Irminonis*, t. I, p. 478.

⁴ Bal., t. II, col. 27.

⁵ Bal., t. II, col. 1424, 1426.

⁶ Bal., t. I, col. 611.

Aut tributum, antea a Rege vel a Comitibus perceptum, ipsi conceditur, qui immunitatis ornatur privilegio, et e publico privatus fit census. « Sic Caro-
« lus Magnus Placentiæ episcopo tribuit omnem judicariam vel omne
« teloneum de curte Gusiano, tam de arimannia quam de aliis liberis homi-
« nibus, qui vulgo *herimanni* vocantur¹. — Insuper concedimus eidem Ale-
« drano, ut de villa illa quæ vocatur Roncho et de omnibus arimannis in
« ea morantibus, omnemque districtionem, omnemque publicam functio-
« nem et querimoniam quam antea publicus nosterque missus facere consue-
« verat, custodiant et observent². — Donamus ad præfatas basilicas mansos
« duos cum superstantibus duobus tributariis, ut quidquid iidem tributarii
« in censu vel tributo solvere debent, hoc totum ad partem ecclesiarum
« omni tempore persolvant³. » Ut idem liberi homines et posteritas eorum
« censum quod ad fiscum persolvi solebant, parti prædicti monasterii exhi-
« berent atque persolverent⁴. »

Apud veteres scriptores nonnunquam reperire est homines etiam liberos, sic concessos; quo sane significatur tributa concedi, census, quibus erant obnoxii. Hospites, quos ut liberos homines habere necesse est, sæpissime venduntur, conceduntur aut mutantur. Sic Stephanus quidam Picensis, qui terram possidebat a quatuor hospitibus, sibi tres solidos et quatuor denarios pro censu solventibus, occupatam, dicitur dedisse hos quatuor hospites.

Quin etiam eodem modo conceduntur ipsi milites: « Concedo Bovonem
« militem cum suo fevo. — In eadem villa manentes tres milites concedo
« cum beneficiis suis, ut inde persolvant liberale servitium⁵. »

Plura alia afferre possem exempla: hoc tantum adjiciam, reges nostros, quum terras, agros, prædia largirentur, iisdem, immunitatis privilegio, tributa, aut publicas redhibitiones, concedere solitos fuisse: sed animadvertam hos census nonnunquam datos fuisse hominibus, qui non terras re ipsa possiderent, sed tantum sub ditione sua, ut ita dicam, regerent.

Quocirca lectorem non pœnitebit recordari quæ supra dixerim, quum in immunitate aliud esse possessionem, aliud esse dominationem, affirmaverim.

Aut immunitatis privilegium familiæ, societatis cujusdam domino, monasterii vel ecclesiæ rectori conceditur, et tributa quæ regi antea solvebantur, nunc per privatos ministros, sive ad utilitatem totius familiæ, sive ad emolumentum ipsius domini, percipiuntur.

Cujus immunitatis formula apud Marculfum legitur; et in plerisque hujus

¹ Savigny, *Hist. du droit romain au moyen âge*, t. I, p. 146.

² Cangius, v° *Herimanni*.

³ D. Bouq., t. VI, p. 655, 644.

⁴ Neugart, *Cod. diplom. Alem.*, n° 254. — D. Bouq., t. VI, VII, VIII, *passim*.

⁵ Guérard, *Cart. Sancti Petri*, p. xxxj, xxxij; p. 214, 219, 253, 255, 259. — *Ibid.*, p. 108, 249, 250, 651, 655, 659, etc.

generis præceptis hac reges nostri usi sunt : « Quidquid aut de ingenuis aut
« servientibus, cæterisque nationibus, quæ sunt infra agros vel fines suas
« supra terras supradictæ ecclesiæ commanentes, per manum agentium
« eorum proficiat in perpetuum. — Pro reverentia sancti confessoris Martini,
« Eligio rogante, Dagobertus rex illi ecclesiæ censum omnem qui fisco
« solvebatur ex toto condonavit scriptoque confirmavit, atque ab eo tempore
« omne jus fiscalis census ecclesia sibi vindicat¹.

« Nullam potestatem iudex publicus fisci nostri super præfatas villas vel
« facultates S. Martini per qualemcumque ingenium habere se recogno-
« scat; sed ab omni fiscali potestate, atque de prædictis rebus S. Martini
« semper extraneus et remotus sit, et nec aliquis nusquam occasiones
« inquirere unde homines S. Martini dispendium facere debeant, sit ausus
« præsumere, et quidquid fiscus consuetudines habuit recipiendi, in lu-
« minaribus ipsius S. Martini pro nostra elemosyna ad præsens inrecisa
« computatur². »

Verba his similia plerumque veteres immunitatum chartas perlegendibus
occurrunt : « Quod longo a tempore fisco fuit consuetudo ad exactandum...
« in luminaribus concedere, etc. — Quidquid fiscus noster quolibet modo ab
« omnibus, qui super terras S. Germani commanere noscuntur, habere
« poterat, et omnes redhibitiones absque ullius iudicis introitu aut repetitione
« habere concessa. — Concessit homines ingenuos quinque cum filiis et pos-
« teris eorum, commanentes in loco nuncupante..... Videlicet ut illud
« quod ad partem publicam facere consueverant ad prædictum monasterium
« facerent. — Obsecrans ut præfatæ ecclesiæ quosdam liberos homines duo-
« decim numero sibi utiles, in eadem valle commanentes, a publico immu-
« nes esse concederemus³. »

Carolus tertius, agris quibusdam fideli suo Theodosio concessis, hæc in-
signia verba addit : « Ipsi homines, qui in supradictis villis habitant, vel
« habitaturi sunt, tale obsequium vel tale servitium Theodosio vel hæredibus
« suis faciant, quale Comitibus facere consueverunt tam Spani quam cæ-
« teri. » Dein sequuntur immunitatis consuetæ conditiones⁴.

Ut immunes tributorum sæpe *liberi*, sic immunitas sæpe *libertas* vocatur :
« Præceptum Karoli Magni de libertate monasterii S. Michaelis⁵. »

Itaque, immunitatis privilegio, nec census, nec fiscalia munia plerumque
remittebantur, sed *e fisco* ad *immunem* transferebantur, qui eadem exigeret
a tributariis, quicumque essent : hæc autem præcepta adeo numerosa su-

¹ Ap. Duch. script., t. I, p. 650.

² D. Bouq., t. V, p. 722, 763, etc.

³ D. Bouq., t. VIII, p. 566, 570, etc.

⁴ Bal., t. II, col. 1525.

⁵ D. Bouq., t. V, p. 722, etc.

persunt, quamvis multa perierint, ut vix intelligere liceat, quid his in temporibus ad fiscum regum per manus Comitum deferretur.

Quum alia parte nonnulli liberi homines, ut comitum sævam dominationem effugerent, immunis cujusdam potentis tutelam requirere solerent, et hæc commendatione se terrasque suas publicæ potestati subtraherent: frustra reges nostri hæc prohibere conabantur, ut ex Capitularibus intelligere licet. « Placuit nobis ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob
« vitandam reipublicæ utilitatem, fraudulentè ac ingeniose res suas ecclesiis
« delegant, denuo sub censu utendas recipiunt, ut, quousque res ipsas
« possident, et hostes et reliquas publicas functiones faciant, ... ut status
« et utilitas regni nostri hujusmodi adinventionibus non infirmetur. Alii
« sunt qui se commendant ad aliquos seniores, quos sciunt in hostem non
« profecturos, etc. »

Multi autem, cœlesti rore tacti, ut sæpe legimus, aut beneficii cujusdam memores, proprias possessiones sic commendant: *Adelbertus, fidelis noster*, ait Caroli Calvi diploma, *alodium suum monasterio dedit; dein abbas et fratres hoc alodium eidem beneficiario et usufructuario jure conferre studuerunt, etc.*¹. Quin, ipsi Comites alique publici judices, tributa quæ ad fiscum deferre jubebantur, tota sibi ipsi reservare nitebantur, ita ut, brevi tempore reges nostri omnibus opibus suis spoliati fuerint.

Igitur, paulo post Caroli Magni tempora, nullam jam esse regiam partem satis constat: sed illi census, quamvis ærario publico jam auferantur, non fiunt his censibus similes, quos villici pacto fœdere dominis suis, terrarum possessoribus, pendere solent. Ut tributum semper apparent, quod, victis populis armorum vi impositum, a victoribus semper exigitur. In eo constitisse videtur præcipuus Germanarum gentium labor, quod omnes publicæ functiones, omnia publica jura e fisco romano et e regali potestate privatorum dominorum manibus transmitterentur. Quod imprimis immunitatum concessionibus fuit effectum, ut jam vidimus, ut infra fusius demonstrare conabimur. Hic tantum de censu dicendum est:

« Ut idem liberi homines et posteritas eorum censum quod ad fiscum persolvi solebant, parti prædicti monasterii exhibeant atque persolvant². »

Nunc quæ fuerit horum conditio tributorum, quum ita privati juris facta fuissent, exquirere deceret, nisi hanc dissertationem nimis extendere, nec immerito, timerem.

¹ Cap. anno 824; cap. ann. 841; cap. ann. 805. — Lehuërou, t. II, p. 225, 237, 415. — Guizot, *Essais*, p. 110, 111. — Bal., t. II, col. 1499.

² Irmin. Polypt., p. 699.

CAPUT TERTIUM.

De Teloneis. — Varia teloneorum genera a Regibus concessorum. — Hæc telonea sunt privati census.

Aliud redhibitionum publicarum genus in formulis et in immunitatum præceptis reperimus, quod teloneum appellari solet. Hoc sane, ut Cæsarum successores, inter imperii romani spolia, Francorum reges exceperunt. « De teloneo, ut per ea loca debeat exigi, vel de speciebus ipsis, de quibus principum præcedentium tempore, exactum est¹. »

Sub Carolo Magno ubique telonei fit mentio : « De teloneis placet nobis, « ut antiqua et justa telonea a negotiatoribus exigantur, tam de pontibus quam et de navigiis seu mercatis².

« Ut nullus negotium suum infra mare exercere præsumat, nisi ad portura legitima, secundum more antiquo, propter justitiam domini imperatoris et nostram, et si quis aliter fecerit, omne negotium suum perdat³.

« Hic nempe Gervoldus super regni negocia procurator constituitur per multos annos, per diversos portus ac civitates, exigens tributa atque vectigalia, maxime in Quentawich⁴. » Hæc autem telonea, quæcumque sint, a regibus nostris conceduntur, quum in plerisque immunitatum præceptis comprehendantur : « Non freda aut telonea, aut mansiones, aut pastus, aut tributa exigant. — Prædictam villam cum omnibus theloneis publicis possideant.

« Omnes telloneos de villabus ecclesiæ, seu de homines, qui super terras commanere videntur, de negotiantes eorum ad ipsam casam dei concederunt. — Nec freda, teloneos, conjectos, sunniatas, vel aliquas paratas exactare quis præsumat. — Nec pascuaria infra eorum terminos,

¹ Anni 615 edictum.

² Ann. 803, capit. *Karoli Magni*.

³ Hlotarii I, imper., *Constitutiones Oionnenses*.

⁴ Gesta abb. Fontanell., apud Acher. Spicil., t. III, p. 183. — D. Bouq, t. V, p. 515.

« nec telonea infra comitatum in quo habitant, neque a Comite neque a junioribus deinceps exigantur....¹. »

Sed cur plura exempla afferrem, quum a nemine negari possit, hæc telonea ad partem regiam delata fuisse usque ad tempora Caroli Magni.

Quænam fuerint hæc telonea describere non hic locus, quum hæc tantum enumerare non facile esset.

Quum chartæ, quibus publica telonea conceduntur, fere sint innumera, multa exhibere exempla non operæ pretium est: sed ostendere juvat, quomodo fiscus hæc telonea his in temporibus largiretur; hinc enim clarius demonstrabitur, quæ fuerit vis immunitatum, quis finis.

¹ Rex telonea remittit quæ a publicis iudicibus seu teloneariis percipi solebant intra fines immunitatis: ad hoc spectare videtur perobscura formula, quæ in appendice Marculfi continetur²: Privata autem præcepta transcribere melius est: « Nemo fidelium nostrorum, nec quilibet exactor judiciariæ potestatis de carris vel saumariis, seu in villis ejus super quibuslibet negotiis factis, vel etiam de quocumque alio commercio, undecumque jus fisci teloneum exigere potest, ullum teloneum accipere vel exigere præsumat³. »

« Ut nullus Comes neque ulla judiciaria potestas in terra S. Mariæ censum quem dicunt foraticum, neque ripaticum, neque salvaticum, seu ullam redhibitionem de terra S. Mariæ vel de supermanentibus accipere vel exactare audeat. » — « Præcipimus ut de regali via ex parte S. Germani a S. Mederico usque ad locum qui vulgo vocatur Tudella, neque in minoribus viis quæ tendunt ad monasterium, ... ullus Missus dominicus aliquam judiciariam potestatem ibi exerceat, neque ripaticum, neque foraticum, neque ullum teloneum recipiat. » — « Prædictam villam Exonam cum omnibus publicis theloneis teneant et possideant, etc.⁴. »

Plerumque, post terrarum concessionem et consuetam immunitatis formulam, hæc adduntur: « Sed neque viaticum, neque portaticum, neque salvaticum, neque pascasium, neque teloneum aut ullum illicitum debitum exigere præsumat iudex publicus⁵. »

Affirmare autem licet teloneum in omnibus fere privilegiis, non penitus abolitum fuisse, sed a rege transmissum illi qui immunitate donatus erat. Sic in charta suprascripta, legimus: « Sed missus Episcopi secundum propriam voluntatem ordinet, et advocatus ecclesiæ rectam et legalem rationem reddat. »

¹ Bal., t. II, col. 27, 1415, etc. — D. Bouq., t. V, p. 706, 728, 750, etc.

² Marc. *Append.*, f. 45.

³ Bal., t. II, col. 1439.

⁴ Bal., t. II, col. 1418. — D. Bouq., t. V, p. 706.

⁵ Bal., t. II, col. 1480, etc.

Sic in hoc diplomate: « Cujus petitioni benignum præbentes assensum, « regium morem servantes, hoc præceptum immunitatis fieri jussimus, « concedentes ei omnibusque successoribus omne burgum ipsi ecclesiæ « adjacentem, et universa quæ ibidem ad dominium et potestatem comitis « hactenus pertinuisse visa sunt; forum scilicet, teloneum, monetam et « omnem districtum cum terra et mansionibus ipsius burgi¹. »

Etenim, quum publici judices intra fines immunitatis ingredi non possent, telonea publica, aut nemini jam solvebantur, aut per *agentes immunitatis*, quod fieri solebat, in posterum exigebantur; qui passim occurrunt sub nomine *teloneariorum*.

2º Rex immunem aut illius homines, quicumque sint, a teloneis liberat, quæ antea solveere consueverant publicis judicibus, seu in omnibus regni regionibus, seu in quibusdam definitis locis, aut de omnibus rebus aut de rebus quibusdam. Sic in insigni diplomate Caroli Magni de immunitate cœnobii Dionysiani, rex, quum concessit « omnes teloneos de villabus « ecclesiæ seu de homines, qui super terras eorum commanere videntur, » hæc addit: « Confirmamus ut per regna nostra tam de navibus qui per « universa flumina ad surrectum seu ad descensum, vel carra atque eorum « saumas, necnon de homines eorum, seu negotiantes, qui per casa ipsa « sperare videntur, ubicumque, quascumque pagus tam in civitates, cas- « tellis, vicis, portis, pontis publicis, vel reliquas mercadus advenerint, « nec de homines eorum qui super eorum terris commanere videntur, nec « in eorum villas vel agros, nec de homines qui ad foras in eorum villas « ad negociandum, vel vina comparandum advenerint, nullum teloneum, « neque exclusaticum neque decimum, nec barganaticum, nec rodaticum, « nec pontaticum, nec cespitaticum, nec pulveraticum, nec salutaticum, nec « mutaticum, nec de navis vel karra eorum, nec de saumas, nec de hoc quod « homines eorum ad eorum dorsum portant, nec ad eorum negotiantes etc². »

Hæc verba, aut alia fere similia sæpissime reperiuntur: sic qui immunitate donati sunt, « seu negociantes eorum et homines eorum, nullum « teloneum dare debent in civitatibus, mercatis, villis, vicis, pontibus, por- « tubus etc... » Et alias, « si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid « mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorsus exigatur. » Igitur omnes qui hac immunitate fruuntur, aut locum eorum tenent, ubique mercari possunt, et nullum teloneum, nullam redhibitionem persolvere debent: « Sed omnia in omnibus propter nomen Domini ipse abbas, vel successores,

¹ D. Vaissette, *Hist. du Languedoc*, t. II, dip. 48.— Vide: *Auctoritas per quam teloneum conceditur locis Dei*, apud Chartas Ludovici pii; *præceptum confirmationis de tributis et aliis rebus quæ Reges ad loca Dei dederant*. D. Bouq., t. VI, p. 654, 644.

² D. Bouq., t. V, p. 750. — T. VI, p. 455, 464, 485, 492, 494, 508 etc. *Præceptum de navibus domini Hludovici apud Chartas Ludovici pii*. D. Bouq., t. VI, p. 657, 642, etc.

« vel memorata ecclesia habeant indultum, ut ad luminaria ipsius sancti
« loci proficiat in augmentis¹. »

Sæpe concessio non omnes locos, non omnia telonea attingit:

Præceptum Domni Karoli regis, quod fecit rogante magistro Albino, pro
monasterio Cormaricensi: « Licentiam habeant naves duas per Ligerim flu-
« vium et Meduanam sive Sartam et Ledum vel Viennam huc illucque pro
« necessitatibus dirigendi, et nullum teloneum neque de sale neque de ullis
« quibuslibet rebus in ullo omnino loco ipsi aut eorum homines solvere aut
« dare debeant². »

Ludovicus, rex Aquitaniæ, hanc immunitatem postea extendit: « liceat duas
« naves, vel quotquot fuerint sibi necessariæ, per omnia flumina in regno
« nostro discurrant, absque ulla consuetudine dirigere. »

Hic autem princeps, quum ipse imperator factus est, privilegia hujus
generis præsertim concessisse videtur³.

Quum multa alia exempla afferri possent, malo quamdam referre histo-
riam, qua, ut mihi videtur, quidquid dixerim confirmatur.

« A prisceis regibus concessum fuerat uti quatuor naves immunes ab omni
« debito fisci liberrime per alveum Ligeris discurrerent. Quum itaque harum
« una ob salis evectionem Namneticam usque ad urbem pervenisset, atque
« in regrediendo, tota ex præcepto regio omnes itineris portus civitatesque
« pertransiret, ad urbem pervenit Aurelianam: ibique a teloneariis civita-
« tis detenta, rector navis vectigalis gratia quæstioni subicitur. Liberalita-
« tem regiam illo reclamante, contempta regali auctoritate, exactor navem
« onustam sale fisco subicit, atque cum cæteris navibus procuratori portus
« committit. Erat, quando hæc agebantur, dies dominica: sed circa horam
« fere diei tertiam, cunctis Missarum celebratione detentis, navis quæ cum
« ceteris in portu fiscali tenebatur, subito absque humano remige e portu
« emota, mediam Ligerim petit, quo fortior vis aquæ decurrere solet.
« Confusa denique fuit omnis procuratorum fisci audacia⁴. »

Ad hoc immunitatum genus pertinent duo formulæ, una qua vectigalium
immunes declarantur homines *fidelis nostri illius, ubicumque infra regno ad
negotium exigendum advenerunt*: altera, quæ de missis aut hominibus
episcopi loquitur: hæc, ut insignior et frequentius adhibita, tantummodo
transcribetur.

« Ille rex Francorum viris illustribus Patriciis, Comitibus, Teloneariis, vel

¹ D. Bouq., t. V, p. 732, 742, 745, etc. — Bal., t. II, col. 1455, 1454, etc.

² Bal., t. II, col. 1401.

³ Bal., t. II, col. 1406, 1407, 1411, 1459, etc. — D. Bouq., t. VI, p. 455, 464, 485, 492, 494, etc.

⁴ Ex miraculis S. Benedicti ab Adrevaldo monacho Floriacensi scriptis, ap. D. Bouq., t. V, p. 449.

« omnibus curam publicam agentibus..... cognoscite, ut ubicunque
 « infra regnum nostrum missi illius antistitis urbis mercare videntur, vel
 « pro reliqua necessitate discurrunt, nullum teloneum nec quamlibet redhi-
 « bitionem exinde ad partem fisci nostri nec ipse nec missi sui solvere non
 « debeant. Propterea per præsentem præceptum decernimus, quod perpetua-
 « liter mansurum esse volumus, ut nullum teloneum in nullis civitatibus
 « aut pagis vel ubicunque in regno nostro teloneus exigitur, nec de navali,
 « nec de carrali evectione, nec de rotatico, etc., etc. Nec vos nec juniores
 « aut successores vestri non requiratis nec exigatis; sed omnia et in omni-
 « bus hoc propter nomen Domini ipse Pontifex vel successores sui aut me-
 « morata ecclesia habeant indultum, vel in luminaribus ipsius loci pro-
 « ficiat¹. »

3^o Denique Rex jus concedit teloneum quoddam percipiendi extra immu-
 nitatis fines, de rebus quibusdam. Hic innumera, ut ita dicam, exempla
 afferre liceret, quum omnia teloneorum genera a regibus nostris sic conce-
 derentur. Illud autem præcipue animadvertam, non e possessione terrarum
 oriri hæc privata jura quibus teloneum quodlibet exigitur, quum extra fines
 immunitatis sæpissime percipiatur: quod haud mediocriter plerorumque
 opinioni repugnare mihi videtur, qui his in temporibus omnia jura, omnem
 jurisdictionem a terrarum possessione originem duxisse affirmant.

Carolus Calvus, quibusdam prædiis Urgellensi ecclesiæ concessis, hæc
 adjicit: « Concedimus eidem ecclesiæ, ut sicut aliæ ecclesiæ Septimanie,
 « ita quoque eadem et rectores ejus semper habeant tertiam partem telonei
 « de omnibus illius parochiæ mercatis... et tertiam partem telonei omnium
 « negotiatorum per eandem parrochiam transeuntium atque mercantium². »

Plura alia exempla apud auctores illius ætatis occurrunt, e quibus credere
 licet reges nostros sæpe ecclesiam quamdam aut monasterium in loco comi-
 tis posuisse, qui, ut supra vidimus, tertiam vectigalium partem sibi retinere
 solebat. Sic in præcepto pro ecclesia Barcinohensi, quæ *cellas quasdam cum*
omnibus appendiciis suis, villas cum speluncis, molinis.... domus cum
terminis et adjacentiis, villare et villaricellos.... accipit.... hæc legimus:
 « Concedimus ei tertiam partem telonei, sicut Bernardus Marchio noster per
 « præceptum genitoris nostri ei acceptavit de suburbio loci ipsius, tam de
 « mari quam omni mercatione et de heremis terræ et de portatico et de
 « moneta³. » Inter chartas Ludovici pii imperatoris, hoc illustre præceptum
 reperimus: « Auctoritas per quam teloneum conceditur locis Dei: — Medie-

¹ Marc. app., form. 45. — Lindenb., form. 12. — Vid. Chartas Lud. pii Imper. de navibus,
 apud D. Bouq., t. VI, p. 653, 640, 643.

² Bal., t. II, col. 1482, 1509, etc.

³ Bal., t. II, col. 1502.

« tatem telonei ex pago illo ecclesie . . . per præceptionis nostræ auctoritates
« libentissime concessimus, tam de carris quam et de navibus vel de omni
« commercio quod in eodem pago venditur aut emitur, de omnibus rebus
« de quibus fiscus teloneum exigere poterat¹. »

Aliud est concessionis genus, quum, exempli gratia, Carolus Magnus monasterio S. Germani a Pratis *portum* donat: « Donamus portum quod est
« inter pagum Senonicum et Melodunensem, ab Alsiano villa præfati S.
« Monasterii usque monasteriolum S. Mauricii ex utraque ripa fluminis
« Sequanæ, cujuscumque sit terra, ita ut nullus inibi portum vel aquam
« habeat, nisi jam potestas almi Germani, neque theloneum, aut rotati-
« cum, seu vultaticum, cespitaticum, ripaticum, vel salutaticum cuiquam
« accipere liceat². » Hæc autem omnia teloneorum genera portum consti-
tuere videntur. « Hilpericus, rex Francorum, domino Chrasmo Noviom-
« gensis seu Tornacensis urbis episcopo, teloneum de navibus super fluvio
« Scalt, qui pertinet ad fiscum Tornacum, tam ultra quam citra decursum
« de quolibet commercio . . . necnon et justitiam de eodem teloneo, sicut
« eam libere possidemus . . . visi fuimus concessisse³. » « Sigebertus testa-
« mento legavit Beato Remaço quædam in Aquitania telonea in portu Vetra-
« ria, ad fluvios Tanacum et Ittam: itemque portum Sellis et Vogaticum, ad
« flumen Ligeris, cum omnibus ad eum attinentibus⁴ etc. » Multæ sunt
chartæ illius generis, quibus liquet hunc *portum* in iis constitisse teloneis,
quæ judices aut agentes publici e navibus huc appellentibus, e mercatoribus
aut etiam ex hominibus ibi commanentibus negotii causa, exigere consue-
verant. Reges *mercatus aut feras* (marchés, foires) instituere solebant; unde
telonea quædam exigebant, de mercatoribus seu de rebus venditis: hæc
telonea, sæpe *mercatus, jus mercati* appellantur, et, veluti cetera alia vecti-
galia, a regibus, per privilegium immunitatis, transferuntur.

Sic Carolus Magnus S. Dionysio silvam concedit *cum mercatis in eisdem
villis confluentibus, sive mercandi gratia convenientibus*⁵. « Præterea conce-
« dimus in vestiaria et calcearia Fratrum monachorum, sicut fuerat olim,
« omnes feras annuales mercati cum integritate et districtum⁶. »

« Mercatum quoque omni tempore in die Veneris prænominato sancto
« loco concessimus, ut quidquid ex ipso mercato, sive districto sive banno
« acquiri potest, ad luminaria perveniat⁷. »

1 D. Bouq., t. VI, p. 654.

2 D. Bouq., t. V, p. 750.

3 Cart. Châlp., apud Foppens, t. II, p. 1510.

4 Ex vita S. Remaci: vide Lehuërou, t. I, p. 315. — D. Bouq., t. IV, p. 655.

5 D. Bouq., t. V, p. 727, 730.

6 Privil. Lud. imp., ap. Cangium, v° Fera.

7 Cart. S. Bertin., p. 420, ann. 874.

Hoc autem exemplo clarius demonstrabitur, quæ fuerit illius concessionis natura. Dagobertus annale mercatum post festivitatem S. Dionysii monasterio concesserat, ut omne teloneum vel quidquid ex eo fisci partibus sperare poterat in eorum usibus perpetualiter indulgeret¹. Ex hoc tempore S. Dionysii monachi per agentes suos percipi jubebant telonea « infra pagum Parisiacum « ab ipso die Missa domini Dionysii, usque dum ipse mercatus finiretur... « rotaticos, vultaticos, pontaticos, portaticos et cæteros teloneos et bargana- « ticos, etc.² » Comites vero Parisiaci pagi, vel invitis regibus, hoc privilegium semper imminuere conabantur, quia nihil ipsi de his teloneis, ut solebant, sibi retinere jam possent, et ideo necesse fuit illud confirmari diversis Pippini, Karlomani, Caroli Magni et Ludovici præceptis³. Ceterum sæpe videmus facultatem a regibus concessam novum mercatum erigendi: sic Carolus Calvus monasterio eidem S. Dionysii mercatum attribuit cum omnibus ad se theloneis pertinentibus absque ullius judiciariæ potestatis admixtione: vel, ut in alio loco, absque ullius comitis participatione, sive vicecomitis aut judicis introductione, vel etiam cujuscunque rempublicam administrantis respectu. *Concedimus ut in Suinaco vico sibi licentiam habeant mercatum construendi, et quidquid inde exigitur, eorum dominio deputetur*⁴.

Agilmarus, Viennensis archiepiscopus, forum quoddam publicumque mercatum, in pago Lugdunensi, *super proprium suum*, constituere quum vellet, imperatorem Lotharium deprecatur, ut sibi concedatur quidquid inde ad jus publicum exigi poterat. Igitur, ut in præcepto regali scriptum est, « præcipimus atque jubemus ut nullus publicarum rerum exactor illud « ingredi audeat, ut aliquam inibi alicui ingerat distractionem vel aliquam « exigat redhibitionem, sed quidquid jus publicum ex eo exactare poterit, « tantum nos prædicto Agilmaro indulgimus⁵. »

Quum huic dissertationi modum imponere necesse sit, insignia quædam exempla excerpere libet, quibus tributum publicum e fisco regali sic ad jus privatum, nec forma nec natura mutata, translatum fuisse, satis constabit. Sæpe enim conceduntur vectigalia cujuslibet generis, quæ urbium portis exigi solebant: « Donamus S. Sulpitii monasterio omnes Biturensis civitatis « consuetudines, portaticum tam de annona quam de vino, scilicet rotati- « cum, foraticum, necnon et districtum; et mercatum septimanale et feras « annales totas et illas quæ modo sunt atque a modo constituentur, et « omnem consuetudinem quæcumque redditur sive ab introeuntibus civi-

¹ D. Bouq., t. IV, p. 627.

² D. Bouq., t. V, p. 729.

³ *Id.*, p. 705, 715, etc.

⁴ *Id.*, t. VIII, p. 555, 616, 647.

⁵ *Cartul. eccles. Viennensis.*, Bibl. imp., ap. Bordier. — Biblioth. de l'École des Chartes, 2^e série, t. IV.

« tatem, sive ab exeuntibus, undecumque sint illi qui consuetudinem reddunt, sive incolæ Biturigæ urbis sive extranei; et omnem censum de omnibus areis quæ sunt a porta Gordonica usque ad Utrionensem portam inter aquam et murum; et ipsam aquam cum molendinis et omnes areas intra civitatem præter claustra; et totum burgum circa; ecclesiæ et burgi portaticum et rotaticum et foraticum sicut de portis civitatis¹. »

Ludovicus Pius hæc privilegia novo immunitatis præcepto, de more confirmavit: « Confirmamus omnia quæ predecessores nostri loco eidem statuerunt de mercatis et portibus quam et de urbium areis. . . . Præterea concedimus, sicut fuerat olim, omnes feras annuales mercati cum integritate et districtum; ex mercato quoque septimanale illam redditionem quæ ad ipsum pertinet locum, etc. » — « Ut nullus comes, nec ulla potestas, nec quilibet homo de prædictis pontibus et portis aliquando ullum censum exigere tentet, nec teloneum a transeuntibus requirere ullo modo præsumat, exceptis domino et S. Sulpicio servantibus². »

Nonnunquam pons quidam et teloneum quod ex eo percipitur, eodem modo conceditur, munere regum. « Cognovimus, inquit Carolus Calvus, quia pons qui est ad Durdis super fluvium Somone, qui aliquando ad jus publicum pertinebat, conveniens et utilis esset ad necessitatem fratrum; propter quod volumus eum dare et tradere præfato monasterio ut tam pons ipse quam vectigal quod ex eo percipitur in congregationis utilitibus ex hodierna die deserviat atque proficiat³. »

Idem Carolus Calvus ex ærario suo pontem super Sequanam construere curat: sed post expletionem ejusdem pontis, tactus rore cælesti, dignum judicavimus (hæc sunt verba principis) ipsum pontem Æneæ episcopi successorumque potestati subicere, una cum via quæ per terram S. Germani ad eundem pontem vadit⁴.

Sæpe enim his in temporibus vectigalia quædam, quæ vulgo *pedagium* (*péage*) vocantur, solvenda sunt ab hominibus viam transeuntibus:

Itaque, aut immunitas conceditur, « qua liber et omni prorsus vectigale absolutus fit transitus, pro cunctis rebus per viam transvectis: » « transferimus a jure nostro in dominium eorum fiscum nostrum cum S. Maxentia, munda ab qualicumque omni exactione, quæ de ponte ipsius loci partibus fisci, seu partibus Comitatus exigitur⁵. » Aut *pedagium*, vel pars quædam *pedagii*, tribuitur: « Centum solidos ecclesiæ Cluniacensi et quadraginta

¹ *Cart. Sancti Sulpitii*, ms. des Archives de Bourges. — Ap. Bordier; *ibid.*

² Præceptum pro Bituricensi S. Sulpitii monasterio, anno 855, ap. D. Bouq., t. VIII, p. 558.

³ Charta Car. Calvi; ann. 842, ap. Bordier.

⁴ Bal., t. II. col. 1491.

⁵ D. Bouq., t. VIII, p. 455.

« S. Martini de campis, de pedagio suo, quod est in camino Pontisarensi, concessit Burchardus¹. »

His autem exemplis satis constat, reges omnia, ut ita dicam, vectigalia quibus fruebantur, imprudenter concessisse, ita ut serius ociusve omnibus suis opibus necessario spoliarentur².

De re monetaria quædam tantum attingamus: reges nostri et imprimis Carolus Magnus sibi, ut jus regale, cudendæ monetæ privilegium vindicarunt; quædam monasteria, ex antiqua concessione, ut Sancti Martini Turonensis abbatia, privatam monetam tum etiam possedisse videntur; quidam potentes viri fortasse jus illud usurpaverunt, si veteribus chartis, aut quibusdam denariis credere licet³. Attamen, ut ex Capitularibus constat, rei monetariæ rex præsidebat, ejusque varias conditiones, per diversas regiones imperii, definiebat.

Post Carolum Magnum, jus illud, ut alia telonea, concessum a regibus videmus, aut usurpatum a potentioribus viris: sic in anno 836 Ludovicus Pius Aldrico Cenomannico episcopo ejusque successoribus monetæ privilegium tribuit⁴; et postea reges, inviti seu libenter, talia præcepta episcopis, abbatibus, vel comitibus largiuntur: si ecclesiastici viri, ut concessionis chartam obtineant conserventque, magis student, comites tamen monetariis officinis potiuntur.

« Proprii numismatis percutiendi monetam ex regali auctoritate habeant licentiam abbates Prumiensis monasterii. — Concedimus ut percussuram numismatis, quæ et moneta dicitur, secluso fisci jure, canonici S. Martini Turonensis ex more habeant semper. — Humiliter deprecati sunt ut concederemus cuidam Cameracensis ecclesiæ præsuli monetæ officinam. — Ludovicus rex prædicto Actoldo dedit monetam Remensis urbis. — Damus ecclesiæ Trenorciensi monetam. — Monetam cudendi licentiam dat Carolus Calvus ecclesiis S. Mammetis Lingonensis et S. Stephani Divionensis⁵, etc. »

Plures etiam comites, ante finem seculi noni, cudendæ monetæ privilegium possedisse constat. Modo regales monetas serviliter imitantur; modo nomina sua in legendis inscribunt; plerumque, ut majores inde percipiant fructus, subditorum ignorantia abutentes, monetas plus minusve corruptas emittunt, quæ regum priscorum effigiem præ se ferunt: nonnulli autem episcopi Ludovici pii nomine utuntur post mortem illius imperatoris; qui

¹ Guérard, *Cart. Sancti Petri*, cXLVI. — Hauteserre, *de Ducibus*, p. 124.

² « Si ad eorum littus piscem vel aliquid mare evomerit, actores potestatem tollendi non habeant, sed ipsis Fratribus sit in auxilium. — D. Bouq., t. VIII, p. 631. »

³ Sic, qui numismatibus student, denarium ostendunt Milonis, comitis Narbonnensis (780-790?).

⁴ D. Bouq., t. VI, p. 609.

⁵ D. Bouq., t. IX, p. 549, 574, 518, 63, 448; t. VIII, p. 643, etc.

regum auctoritatem nondum rejecerunt, mutante principe, principis nomen mutant : dein regis nomen supprimitur, quamvis hæc conservetur legenda : *Dii gratia Rex*, quæ postea legendis aliis locum etiam relinquet : *Dii gratia Dux, Comes, Episcopus*.

Hæc vectigalia, quæ conceduntur a regibus, sic privati census fiunt; et, ut vidimus, non e terrarum possessione jus oritur tributa percipiendi, quum data sint hominibus, qui nihil etiam possideant his in locis aut regionibus in quibus percipiuntur.

Comites autem, ceterique judices publici, quum jugum regiæ auctoritatis exuerint, hæc vectigalia, quæ antea ad fiscum pertinebant, intra fines potestatis suæ usurpaverunt : eaque, ut seniores, exigere consueverunt, quamvis nullo modo, terrarum comitatus sui vel judiciaræ potestatis, proprietario jure possessores essent.

Ipsi vero, ut reges olim, hæc concedunt diversis immunitatum præceptis, quæ passim occurrunt : « Sic Richardus Normannorum comes perpetualiter « perdonat cœnobio S. Petri Carnotensis, ut in omnibus mercimoniis ubivis « locorum suæ potestatis agendis nihil telonei persolvant, etc.¹ »

Omnia igitur teloneorum genera venduntur, aut conceduntur, aut etiam dividuntur sine lege certa, ex voluntate possessorum : « Mainerius con- « cedit S. Petro Carnotensi liberum transitum tam salis quam piscium et « nostrarum rerum quæ per Agili villam Carnotis ad usum fratrum « veherentur². »

« Notum sit tam præsentibus quam futuris quod pro Matheo de Pariniaco, « qui factus est monachus apud S. Sulpitium, Guiburgis supra dicti Mathei « uxor ejusque filii, dant hæc quæ in carta hac continebuntur pro remedio « animæ supra dicti Mathei, hoc est : medietatem de portario, quod est « apud portam novam Bituricæ urbis, tam de exeuntibus quam de ingre- « dientibus; simili modo in eadem urbe apud portam Gordaniacam duas « partes de portario tam de exeuntibus quam de ingredientibus³. »

Sæpe hæc vectigalia conceduntur in *censu* aut præsertim in *feudo*, quum talibus donationibus vassallorum officia quam terrarum largitionibus remunerari facilius esset : sic jura telonei, mercatus, feræ, pedagii, rotatici seu rotagii, monetæ, forestæ, etc., in feudo data reperimus : quæ *beneficarii honores* (*chefs d'honneurs*) vulgo appellari videntur⁴. Modo omnia, quæcumque sint, percepta vectigalia intra fines territorii cujusdam tribuuntur : modo

¹ Guérard, *Cart. S. Petri*, p. 107.

² *Cart. S. Petri*, p. 235.

³ *Cart. S. Sulpitii*.

⁴ *Annal. Bert.*, ann. 839, etc. — Cangius, v° *Feudum*. — Omnia in feudum concedebantur, grueria, teloneum, pedagium, rotagium, apum examina, imo, si quibusdam lides, ipse, quo vivimus, aer.

teloneum quoddam solum attingere videtur concessio : modo teloneum idem pluribus etiam conceditur, ita ut unusquisque vicissim illud percipiat per tempus præfinitum¹.

Sic intelligere possumus, quæ fuerit hæc mira tributorum diversitas, quæ sæpe a variis possessoribus in eadem terra, de iisdem hominibus exigebantur, aut ab eodem domino diversis in regionibus quas nullo jure possidebat.

¹ Vide Brussel et Hervé : *Matières féodales*, recueil des *Olim*, t. I^{er}, passim.

CAPUT QUARTUM.

I. — De cursu publico : mansiones, paratæ, paraveredi, angariæ : de tractoria.

In formulis et in chartis immunitatum prohibetur ne iudices, quicumque sint, intra fines terrarum ingrediantur ad *mansiones* aut *paratas faciendum*, *tollendum*, et sæpissime etiam, ne postea ab immunibus hominibus *paraveredos* aut *angarias* exigant.

Quæ, ut munus publicum, debentur aut ipsi Regi, aut legatis ad regem directis, aut Missis, qui regis jussa per provincias exsequuntur¹.

Regis recipiendi onus provincialibus incumberebat, ejusque rei cura præcipue ad *mansionarium* spectabat, cujus officium ex Adhalaro describit Hincmarus, et qui operam dabat ut omnia ab actoribus et susceptoribus parata forent, quum rex adveniret². « Legati ad Principem missi debent in mansionibus « recipi, constitutam accipere expensam et paraveredos. — De missis nostris « discurrentibus vel ceteris propter utilitatem nostram iter agentibus, ut « nullus mansionem contradicere præsumat³, etc. »

Missi vel legati, quum proficiscerentur, litteras accipiebant, quæ vulgo *evectiones* aut *tractorie* dicebantur : sic Lupus, abbas Ferrariensis, Carolo Calvo scribit : « Proinde antequam legationem adoriatur, regi per me de his « quæ videbuntur suggerere statui, et tractorias accipere; et tunc, favente deo, « proficisci⁴. » Agobardus, in libello de insolentia Judæorum, de stipendiali tractoria loquitur, quæ definire solebat *commeatum missis præstandum*, *locos, mansiones, viatica, dispensam*.

Ad omnes iudices, rem publicam curantes, dirigebatur hæc tractoria; cujus formulam insignem apud Marculfum reperimus⁵.

¹ Vide Capit. passim.

² Hincmari epist., de Ordine et Offic. palatii.

³ Bal., t. I, col. 740, 594.

⁴ D. Bouq., t. VII, p. 485.

⁵ Marc., lib. I, form. 41.

Omnia autem, quæ in hac tractoria continentur, non erant cuique legationi præbenda, ut ex ipsa formula patet, quum hæc verba legimus: *tractoria legatariorum* (id est legationum aut legatorum) *vel minima facienda istius instar*. Ceterum plures reperiuntur tractoriæ ab imperatoribus datæ, quæ plus minusve pro uniuscujusque dignitate aut pro temporum consuetudine concedere videntur¹.

Itaque quidquid ministrandum foret legatis præcise reges definire solebant, quum quisque nihil aliud exigere deberet, nisi quod *in sua tractoria contineretur*.

In hoc *cursu publico* quatuor præstationum genera distinguere licet: mansiones, paratas, paraveredos et angarias.

Hæ duo publicæ functiones, mansiones et paratæ, sæpissime conjunctæ, vulgo dicuntur *dispensa, expensa, conjectus, mansiones cum expensis*²: ut olim, apud Romanos, loca quædam erant, quæ reciperent hospitio principis agentes aut legatos ad principem directos: hæc Marculfi formula *loca convenientia, loca consuetudinaria* vocat; quæ passim appellantur *mansiones, mutationes, stationes*³. Sub regibus primæ stirpis hunc publicum cursum, per temporum tumultus, conturbari necesse fuit, quem Carolus Magnus rursus instituere conatus est, ut ex nonnullis capitularibus constat⁴. Sed parum cessisse videtur imperatoris irritus labor; itaque quum hæ mansiones plerumque negligerentur, aut destructæ jacerent, credere haud absurdum est, his in temporibus vulgo designatos fuisse homines, qui præberent *tectum et hospitium*, et hoc fungerentur officio, quod *mansionaticum* vocabant.

Multorum autem opinioni repugnans, asserere non dubito: harum mansionum, quæcumque essent, curam habuisse iudices publicos, nec huic publicæ quasi servituti quasdam familias devotas fuisse: deinde iudices ipsos a tributariis hominibus exegisse, quæ suppeditare cogerentur, et Missis aut Legatis aut cuilibet alii præbuisse quæ continerentur in tractoria. Quod probare haud mihi difficile videtur: etenim quæ sint verba formulæ omnibus agentibus directæ? « Jubemus ut locis convenientibus a vobis evectio simul et humanitas ministretur, hoc est... » et... « hæc omnia unusquisque vestrum per « loca consuetudinaria eisdem ministrare et adimplere procuretis, qualiter « nec moram habeant, nec injuriam perferant. » Quibus autem verbis utuntur reges in Capitularibus? Eos, qui publico cursui perficiendo curam impendunt, fideles nostros, qui nostros habent honores, vocant, quum ipsi Comites hoc officio fungantur⁵.

¹ Bal., t. I, col. 671, 790, etc. — D. Bouq., t. VI, p. 652.

² Bignon. Notæ ad Marc., apud Bal., t. II, col. 881.

³ Cangius, v^o *Mansiones*.

⁴ Carol. Mag., cap. anno 802. — Ludov., I, cap. ann. 817, 819, 825, 826. — Ludov. II, cap. ann. 850, 855, 856, etc.

⁵ Cap. ann. 802, § 27; ann. 825, § 18; ann. 850, § 9.

Hanc autem officiorum suorum partem Comites delegant inferioris ordinis missis aut ministris: « In illis locis ubi via et mansionatici a genitore
« nostro et a nobis per capitulare ordinati sunt, missos ad hoc specialiter
« constitutos, qui hoc jugiter provideant, habeant, ut omnia quæ ad easdem
« legationes suscipiendas pertinent, fideles nostri ad hoc constituti ad tempus
« præparare studeant, ut non tunc sit necesse de longe quærere aut addu-
« cere, quando tempus est illud dare vel persolvere. De inhonoratione quo-
« que regis et regni, et mala fama in exteris nationes dispersa, propter
« negligentiam eorum, qui legationes ad nos directas in suis mansionibus
« aut male recipiunt, aut constitutam a nobis expensam non tribuunt, aut
« parvareda dare nolunt, aut furto aliquid eis subripiunt, aut, quod perpes-
« simum est, apertas violentias, eos cædendo et res eorum diripiendo, in
« ipsis exercere non pertimescunt; hoc omnibus notum esse volumus quod
« quicumque ex his qui nostros honores habent, abhinc hanc negligentiam
« emendare non certaverit, et suos homines qui ejus vice hoc agere debent,
« ut id bene perficiant, non instruxerit, aut constrinxerit ut ulterius illud
« negligere non præsumant, et honorem nostrum et regni nobis commissi
« custodire contempserint, nec nostrum nec regni nostri honorem ulterius
« volumus ut habeat. Sed volumus ut unusquisque fidelium nostrorum pro-
« curatores rerum suarum de his specialiter instruat, ut quandocumque et
« undecumque legatio advenerit, et aut litteras aut missum nostrum viderint,
« honorifice illum in omni loco imperii nostri, propter nostrum et totius
« regni honorem, omnes suscipere valeant¹. »

Illi autem homines, qui vice comitis, hoc agere debent, sæpe ministri comitum vocantur: hinc videre licet quo modo illæ solverentur præstationes, et quarum perturbationum his in temporibus jam causa forent.

Ministri igitur comitum in unoquoque comitatu dispensam Missorum, a quibuscumque præbenda erat, recipiebant, sicut in tractoria regis continebatur; et ipsi ministerialibus Missorum eam reddere curabant². Hinc quæsum facere non negligebant, ut nonnullis e capitularibus constat: « Missi
« provideant, ne, pro hac occasione, inde ministri comitum amplius, nisi
« quantum in tractoria nostra continetur, exigant. — De Comitibus et vicariis
« eorum qui in aliquibus locis tantum accipiunt de conjectu populi ad mino-
« rem legationem quam ad majorem³. »

Ministri comitum a tributariis exigere solebant, paratas, paraveredos et angarias:

Paratæ. — Quæ pro viatico et alimentis parabantur, *paratarum* nomine

¹ Cap. ann. 825, § 18 et 19.

² Cap. ann. 829.

³ Cap. ann. 829, 850, 865.

vulgo designantur. Tractoriæ formula singula enumerat quæ requiri poterant; hæc autem, quum sæpissime non præsto forent, pecunia solvebantur: quod plerumque etiam fieri solebat, quum res ipsas, ad usum Missorum necessarias, facilius esset præbere. Denique hæc præstatio, quæ primum, pro tempore, sub adventu legationum, solummodo exacta fuisse videtur, tributum paulatim fiet quotannis e consuetudine perceptum, quod Comitibus aut Comitum ministris solvetur, etiam quum nullæ legationes erunt. Jam his in temporibus, hæc verba passim occurrunt, *heribergare, heribergum facere, in heribergo manere* (héberger, auberge), id est hospitio excipere, mansionem et paratam dare: jam hæc verba leguntur, quæ sæpissime postea adhibentur, *pastus et gista*, quibus idem designatur redhibitionis genus¹.

Veredi, paraveredi. — Eo nomine appellantur equi vel mulæ ad subvectionem Missorum aut legatorum: nescio an jure discrimen aliquod inter *veredos* et *paraveredos*, ut doctissimis viris placuit, habendum sit: eorum quidem iudicio, veredos hac in ætate solebant dicere, equos sumptibus fisci publici præbendos majoribus in viis; paraveredos autem equos a privatis hominibus requisitos minoribus in viis. Sed fateri necesse est, me nullum invenisse hujus distinctionis vestigium, quum contra, sicut in formula Marculfi, veredos sive paraveredos, nullo discrimine habito, passim reperias.

Angariæ, parangariæ. — Hæc præstatio pariter a Romanis originem ducit: qua vehicula quædam seu *carra* cum duobus jugis suppeditantur; perficiendum iter determinari solebat: « Angarias cum carro faciant usque quinquaginta leugas; amplius non minentur (?). — Faciunt carropera de annona aut vino in leugis duodecim. — Carropera sic accipiet, ut mane progredientes cum carris et animalibus suis ad vesperum revertantur². »

Etenim angariæ sæpe dicuntur *carroperæ, caricaturæ, curvada in carro* (*charrois, corvées*), etc.; exinde operarum quodlibet genus hoc vocabulo appellatum fuisse videmus.

Hæc autem præstatio sæpius pecunia pendebatur, et, ut legitimus census, quotannis fuit exacta: « Facient carropera, ... sin autem dabunt denarios duodecim, etc. »

In Polypticis hæ redhibitiones variis sub nominibus occurrunt, ad voluntatem domini definitæ: sic ingenui homines pro mansis ingenuilibus angarias facere debent pro annona et pro vino, quocumque hæc transvectare necesse est³.

¹ Vide Cangium his verbis.

² Lex Baju., I, 14, 4. — Polyp. S. Remigii. — Cangius, v^o *Carropera*.

³ Polyp. S. Remigii et passim.

II. — Quibus incumbunt hæc onera.

Quinam autem homines his publicis muneribus fungerentur, nunc dicendum est : plerique confitentur hæc onera incubuisse omnibus, quicumque essent, et liberis etiam hominibus, allodiorum possessoribus.

De paratis et paraveredis nullus est dubitandi locus : etenim Hispani, de quibus loquuntur Capitularia, re ipsa liberi sunt, et tamen, « Missis aut legatis « qui de partibus Hispaniæ ad nos transmissi fuerint, paratas faciant, et ad « subvectionem eorum veredos donent¹. » Qui pagenses Franci nonnunquam vocantur, hæc præstare solent : reges prohibent ne quis eorum rapiat caballos ut hostem facere et debitos paraveredos secundum antiquam consuetudinem exsolvere non possint². « De querela Hildebrandi Comitis, quod pagenses ejus « paravereda dare recusant : volumus ut hoc Missi nostri ab his hominibus « qui in eodem comitatu manent, et ea non debent, necnon et a vicinis « Comitibus inquirent; et si invenerint quod ipsi ea dandi debitores sunt, « ex nostra jussione dare præcipiant³. »

Carolus Calvus hæc exigit ab omnibus, quorum patres hæc solvere consueverant sub Carolo Magno, et jubet ut *Missi de omnibus censibus et paraveredis, quos Franci homines ad regiam potestatem exsolvere debent, inquirent*⁴.

Angariæ autem plerumque designare videntur operas ab hominibus servilis conditionis aut a colonis debitas, quibus res aut fruges domini senioris transferrent. Sed credere licet hoc onus etiam liberis hominibus incubuisse, quum legimus, *minores homines*, ut hoc fungerentur munere, sæpe mutuatos fuisse, et se ipsos obligavisse : « sin autem, aut ipse, aut uxor ejus, aut infans « ejus, si forte ab eis non redditur pretium, maneant in servitio feneratori⁵. » Denique Ludovici pii capitulo noscere licet, quales homines attingere solerent hæc publica munera : « Si quis tractoriam despexerit, aut honores quos « habet amittat, aut in eo loco ubi prædictos Missos suscipere debuit, « tamdiu resideat et de suis rebus legationes illuc venientes suscipiat, « quousque animo nostro satisfactum habeat... Et si homo liber aut « ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem, qualemcumque habuerit,

1 Cap. ann. 844, 27.

2 Cap. ann. 864, Bal., t. II, col. 186.

3 Bal., t. I, col. 800.

4 Bal., t. II, col. 25.

5 Irminonis Polypt., p. 800.

« sive beneficium amittat. Et si servus fuerit, nudus ad palum vapulet, et
« caput ejus tondeatur¹. »

Hæ præstationes eo graviore erant, quod sine modo, sine lege plerumque
exigerentur a potentioribus, quamvis has deprædationes prohibere reges
frustra conarentur: quæ postea fient consuetudines et jura quasi legitima:
exempla quædam afferamus. Equi nonnunquam retinebantur, ut e Capitula-
ribus constat. « Si qui veredos acceperint, reddere eos neglexerint, et eorum
« negligentia intervenienti perditum seu mortui fuerint, secundum legem
« Francorum restituantur vel restaurentur, etc.². » Sed hanc fructuosam
consuetudinem non videntur dereliquisse iudices, quum multo post eadem
a regibus nostris prohiberi reperimus: « Notum facio, me marescalcum
« super sacrosancta jurasse ipsi domino regi (Ludovico octavo), quod non
« retinebo equos, nec palafridos, nec runcinos redditos ad opus meum
« ratione ministerii mei³. » Iudices cujuslibet ordinis, duces et eorum
juniores, gastaldii, vicarii, centenarii, seu reliqui ministeriales, falconarii
venatores et ceteri, *per singula territoria habitantes aut discurrentes, man-*
sionaticos et paraveredos accipiunt super liberos homines et etiam in ecclesias
*dei, monasteria, etc.*⁴: Hæc frustra Carolus Magnus ipse illiusque successores
prohibent; ipsi enim ecclesiastici homines hoc funestum exemplum sequun-
tur, ut animadvertere licet ex litteris Hincmari Hedenulfo, Laudunensi episcopo,
datis: « Ne mansionaticos suis amicis aut suis hominibus a Presbyteris
« parari faciat: ne quasi ad receptionem regis vel legationis... denarios,
« vel caballos aut verres, aut friskingas, aut ad iter aliquod paraveredos, aut
« alia quælibet accipiat, id est, rapiat⁵. »

Non magis Hincmari quam Regum jussa audiuntur, quum ipsi reges et
episcopi simili modo prædantur: « Non solum Comites per violentiam, vel
» per quamcumque indebitam oppressionem, caballos auferunt⁶, » sed
apud regem de rege ipso queruntur episcopi: « Non sit nobis necesse per
« quascunque occasiones, quorumcunque hortatibus circuire loca Episcopo-
« rum, Abbatum, Abbatissarum, vel Comitum, et majores, quam ratio
« postulat paratas exquirere, et pauperes ecclesiasticos et fidelium vestro-
« rum mansuarios in caricaturis et paraveredis contra debitum exigendis,
« gravare, etc.⁷. »

Illæ autem injustæ exactiones sæpissime apud auctores mediæ ævi occur-

¹ Ann. 819, ap. Bal., t. I, col. 603.

² Bal., t. II, col. 27.

³ Brussel, t. I, p. 650.

⁴ Bal., t. I, col. 401.

⁵ Sirmondi notæ ad Capit., apud Bal., t. II, col. 780.

⁶ Cap. ann. 864, § 26.

⁷ Bal., t. II, col. 116.

runt: sic in charta Bodelis Carnotensis vidami hæc reperiuntur: « Pravas
« consuetudines, quas in terra S. Petri tyrannica invasione obtinueram,
« quas vulgo *gesta* dicimus, quia ibi jacere et descendere cum meo equitatu
« proficiscens in expeditionem vel revertens, consueveram, relinquo¹. »

III. — Immunitas a publicis cursus oneribus liberat. — Tractoria privatis etiam hominibus conceditur.

Immunitatum privilegia, de quibus nunc dicendum est, has publici cursus
redhibitiones, plus minusve attingere solebant: etenim velantur iudices
quominus intra fines aut super terras ingrediantur *ad mansiones aut paratas
faciendas, tollendas, etc.* Sæpe alia verba reperiuntur, quæ eadem significant:
*absque cujuscunque hospitalitatis oppressione... ad conjectos vel sunnias, vel
aliquas paratas faciendum.* « Ut nullus nostrorum vel successorum nostrorum
« comes aut vicecomes seu vicarius aut missus discurrens, in prædicta
« immunitate exquirere aut mansionaticum aut paratam, aut parafredum,
« aut Eulogias (munera scilicet) præsumat, neque præsumat horum quispiam
« ab eorum servis, colonis, seu francis super eorum terram commanentibus,
« exigere in publicis mercatis, sive de suis, sive de fratrum negotiis, telo-
« neum, aut ullam redhibitionem seu exactionem. — Ut familia ejusdem
« monasterii nullis quibuslibet hominibus *foderum* det². »

Aliquando paratarum munus immunitatis præcepto determinatur: sic,
per privilegium Caroli Calvi, Hispani paratas *facere debent et veredos
donare missis nostris aut legatis, qui de partibus Hispaniæ ad nos transmissi
fuerint; sed cavendum est ne Comes eos sibi vel hominibus suis aut mansiona-
ticos parare aut veredos dare, aut ullum censum vel tributum aut servitium
præstare cogat*³.

Nonnunquam a nemine jam solvi tributum videtur; sic Carolus Magnus
bona quædam fideli suo Johanni concedit *absque paratas aut veredos*: hic
præstatio omnino remissa fuit.

Sed plerumque crediderim has redhibitiones pariter sine ulla intermis-

¹ Cart. S. Petri, CXLIX et p. 520. — Cangius, v° *Consuetudo*: Prava consuetudo jacendi et comedendi; v° *Pastus*, etc.

² Bal., t. II, col. 1311. — D. Bouq., t. V, p. 728. — Cart. S. Bertini, p. 78-85. — Cangius v° *Mansionaticum*. — D. Bouq., t. VIII, p. 647.

³ Bal., t. II, col. 27, 28.

sione exactas fuisse ab illis quibus immunitatis privilegium concedebatur. Etenim, ut ex polyptics ecclesiarum aut monasteriorum patet, *paratæ*, *paraveredi*, et præsertim *angariæ* passim occurrunt: quæ omnia, sive rebus sive pecunia, jam a tributariis solvuntur, ecclesiæ aut monasterii rectoribus; eadem etiam reperiuntur vocabula: *pastus*, *gista vel gesta*, *paraveredi vel palafredi*, *equi*, *carroperæ*, *curvadæ in carro*, etc.

Tractoriam plerumque reges Missis aut etiam Comitibus conferebant; sed aliquando etiam ministris ecclesiæ vel monasterii per regnum iter facientibus, ut insigni quodam exemplo constat: Chilpericus rex, postquam Corbeix monasterio privilegia concessa confirmaverit, hæc addit: « Evectionem ad ipsum Missum (monasterii scilicet) qui ad exigendum teloneum ambularet, perpetualiter absque renovata tracturia annis singulis dare præcipimus, hoc est veredos seu paraveredos X, panis nitidi X, sequentis X, etc. Hæc omnia superius commemorata locis convenientibus, annis singulis, eisdem tam euntibus quam redeuntibus absque mora dare et adimplere deberetis, etiam ad revertendum carra XII de loco in locum per loca consuetudinaria¹. »

Quum episcopi parochias sibi commissas circumirent, ipsi, ut Missi regum, hospitio excipiendi erant a populo et etiam a presbyteris. Illius paratæ, quæ vulgo *circada* dicitur, multa occurrunt exempla, quibus patet hanc ecclesiasticam præstationem iisdem exactionibus, et iisdem querelis locum dedisse: « Quando episcopus suam parochiam circat, non plus ab ea exigat vel accipiat, nisi secundum canones vel antiquam consuetudinem, et oppressionem ab hominibus ejusdem episcopi ipsa plebs non patiatur. »

Ludovicus Pius ipse cavet ne episcopi occasione prædicandi vel confirmandi oneri sint populo. Quum de hoc onere gravissimo quererentur presbyteri, quia *longa oppressio hujusmodi itineris eos fecit subire laborem*, illud paratarum munus præcise definire necesse fuit: « Semel in anno Episcopi hanc circumitionem tempore congruo faciant. Et si amplius ministerium suum per diocesim agere voluerint, hanc tamen dispensam non amplius quam semel a Presbyteris per annum accipiant,..... neque aliis aut suis domesticis aut amicis exigendam concedant;.... nec sub occasione affligendi presbyteros immoderate et non necessarie numerum famulorum adducant, neque vicinos ad pastum incongrue convocent,..... neque paraveredos aut alias exactiones tollant. »

Quæ autem a presbyteris præstanda sunt, singula definiuntur: « Ut unum modium frumenti et unum modium hordei, atque unum modium vini cum mensura quæ publica ac probata..... per civitatem et pagum atque vicinitatem habetur, Episcopi a presbyteris accipiant, et frischingam sex valentem denarios aut sex pro ea denarios et non amplius exigant. Et si

¹ Bignon notæ ad Marc., ap. Bal., t. II, col. 894.

« hæc non accipiant, accipiant, si volunt, pro his omnibus duos solidos in
« denariis¹. »

Alia pariter insignia præscribuntur, quæ legere non pœnitebit : « Statuant
« Episcopi loca convenientia..... quo Presbyteri per famulos suos debitam
« dispensam archipresbyteris aut Episcoporum ministris convehant..... Ne
« ministri illorum presbyteros dehonorent, aut pignora inhoneste tollendo,
« vel locationem pro receptione dispensæ exigendo..... ne domus aut sepes
« presbyteri, apud quem episcopus residet, illius a ministris vastentur. De-
« nique ut Episcopi ipsi singulos presbyteros, sicut hactenus, non præden-
« tur. » Quid plura adjiciam? Nonne ex his capitulis facile intelligendum
est, quot et quantæ deprædationes ex cursu publico fieri solerent, quum
ipsis episcopis hæc talia injungere necesse esset.

Ut reges, per immunitatum præcepta, ex illis publicis muneribus exime-
bant, sic Episcopi, per privilegia ejusdem generis, hac circada monachos
liberare poterant : « Nihil pontifex aut ejus archidiaconus vel quilibet ordi-
« nator ecclesiæ Taruanensis, audeat vindicare a præfato monasterio; ne-
« que in agris ipsius convivia ego, vel pontifices successores nostri, vel
« archidiaconus præparare non præsumat, nisi ab abbate monasterii Silthiu
« spontanea voluntate fuerit rogatus, et peracto divino ministerio, absque
« ullo incommodo, in sua studeat habere regressum, etc². »

¹ Bal., t. II, col. 21, 22.

² Folquint Cartular.

CAPUT QUINTUM.

I. — *Justitia in immunitate. — De justitia familiari: de justitia publica.*

Ut ex formulis et chartis docemur, judicibus publicis intra fines immunitatis ingredi non licet:

- 1° Ad freda de quibusbet causis exigenda;
- 2° Ad fidejussores tollendos;
- 3° Ad homines de quibusbet causis distringendos;
- 4° Ad agendum, ad causas audiendas, ad audiendum altercationes.

Hæc omnia ad *justitiam* pertinent: non equidem exponam qua ratione his in temporibus jus cuique diceretur, quum hæc nonnulli auctores bene descripserint. Sed ut intelligatur, quæ vis esset immunitatum de justitia administranda, pauca prius exponere necesse est, quibus errores solitos vitabimus.

Ex quo Germanicæ gentes Galliam occupaverint, duo juris dicendi genera, origine, principiis, modo, penitus diversa, existunt, quæ diu separata manere debent.

1° Apud Germanos primum quisque sibi jus per se ipsum vindicare solet: quum autem homines societate quadam inter se junguntur, jus illud societas illa, quæcunque sit, qua continentur, exercet.

Inde fit justitia, quæ familiaris sæpe vocatur: quam semper vigentem reperimus, quum constituitur magna feudorum societas aut sodalitas.

Eam autem a paterno vel dominico jure discernere necesse est: etenim pater familias in suos, herus in servos aut colonos potestatem infinitam, sine lege, sine modo exercet: hic judices non reperio, nec mutua jura, nec controversiam, nec litem: de hac loquitur Tacitus, quum hæc scribit, quæ nonnunquam auctores male interpretati sunt: « Verberare servum ac vinculis et opere coercere rarum; occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune¹. » Hanc domesticam

¹ Tac., *German.*, c. VI.

dominationem veteres apud Romanos videmus : ab hominibus exercebatur, qui profecto nulla fruuntur potestate e cujuslibet societatis conditionibus, quum *villani* uxores suas plagis afficere possunt, *servientem* vero qui vulgo *burgenses* dicuntur¹. Itaque errare omnino mihi videntur, qui hic seniorum jurisdictionis originem esse volunt.

Hæc autem familiaris jurisdictio non e terrarum possessione oritur, ut plerique affirmant : etenim quamvis his in temporibus magni sit momenti terrarum possessio, haud prorsus cujuslibet juris fons et principium esse videtur, quum multos reperire est, qui societate quadam conjunguntur, et se fideles, homines, vassallos alterius esse profitentur, nulla terra ab illo accepta : et tamen senioris sui familiarem jurisdictionem subeunt. Rursus omnes terrarum possessores non ideo hac jurisdictione fruuntur ; sic qui tenet *allodia*, nullam habet jurisdictionem intra fines allodiorum, et ipse iudicibus publicis submittitur, nisi partem quamdam possessionum in feudo aut in censu concesserit.

Hæc autem familiaris jurisdictio per ministerium exercetur eorum, quibus familia aut societas constat, per *pares*, ut vulgo dicuntur, et pares tantummodo attingit².

2^o Alterum jurisdictionis genus est, quæ a Romanis originem ducit, juris videlicet publici, et quæ in potestate regis seu Comitum manet. Hæc autem omnes complectitur, quicumque intra fines pagi, civitatis vel etiam regni habitare videntur, omnes *manentes* (couchants et levants), ut dici solet, intra fines potestatis : qui vulgo *homines de potestate* (hommes de poeste) appellantur, et *villanorum* (loi vilaine), non jam *nobilium virorum* (loi des gentilshommes), lege judicantur.

Judices non sunt pares, sed homines liberi, qui in eodem pago habitant, *boni homines*, seu *rachimburgi*, præsidente Comite vel Comitum vicario. Quum autem homines de potestate pluribus ex causis, et præsertim ut multas effugerent, quibus absentes per iudicium avaritiam onerabantur, placitum desererent, inter *rachimburgos* postea eligebantur, qui ad placitum venire cogerentur : hi sunt *scabini*, septem sæpe numero.

¹ « En plusieurs cas, dit Beaumanoir, puent li hommes estre excusés de gises que ils font « à leurs fames : ne s'en doit la justice entremettre ; car il loist bien à l'homme à battre sa « fame, sans mort et sans messang. »

« En après establissons que se aucun des borjois, son sergent de sa meson ou de sa table, « qui il loerra, ferra ou le battra, que il n'en face amande à notre prévost. » Charte de Louis VII, en 1157.

« Tenet nobiles posse homines suos mediocribus plagis afficere. » Quæ potestas æconomica, ait d'Argentré, ad jurisdictionem aut publici juris potestatem nil attinuit. — Cout. de Bret., art. 30.

² Cang., v^o *Par*. — Pares curie seu curtis dicuntur convassalli, qui jurarunt fidelitatem eidem domino, pro aliis feudis quæ tenent ab illo, etc.

Præterea Comites a vassallis suis, qui beneficia quælibet acceperint, stipulari solent, ut ipsos ad jus reddendum adjuvent; et eisdem rex hanc necessitatem imponit, ut ex Capitularibus patet: « Ut nullus alius de liberis
« hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis scabinis
« et vassis comitum¹. »

Comes, vicarius aut Missus placito præsidebat, sed re ipsa non iudex erat: « Ut comites et vicarii eorum sciant legem, ut ante eos injuste quis
« nemini judicare possit, nec ipsam legem mutare. — Postquam scabini
« judicaverint, non est licentia Comiti vel vicario ei vitam concedere². »

Sententia autem pronunciata, poenam repetendam curabat Comes: mulctæ in duas partes vulgo dividebantur: *weregildum* offenso homini pendebatur; *fredum*, seu compositio fisco debita, per ministerium iudicis publici, ad ærarium deferebatur.

Hæc freda numerosissima et ideo quæstuosissima erant: quorum iudex partem quamdam sibi retinuisse videtur; « de omni compositione nonam
« partem iudex accipiat, dum rectum iudicat. » Freda, quæ sæpiissime postea reperire est, *forisfactorum justitia, vel forisfactura* vulgo dicuntur³.

II. — Virtus Immunitatum de fredis exigendis, de hominibus distringendis, de causis dijudicandis.

Immunitatis præcepto, freda iudicibus publicis percipienda omnino auferuntur; quum ipsi non jam possunt intra fines privilegio defensos ingredi, *neque ad freda exactanda, neque ad homines distringendos*.... Freda igitur illi conceduntur, qui immunitate donatus est, ut, nulla jam principi ratione reddita, illis omnino fruatur; exinde per suos *agentes* omnia percipit quæ solvere debent homines intra terminos immunitatis manentes: « Et ubi fredum ipsi agentes aut reliqui homines memoratæ
« ecclesiæ acciperent, freda ad ipsa loca sanctorum deberent proficere in

¹ Cap. ann. 809. — Bal., t. I, col. 471, 615, 764. « Il y a aucuns lieux, où li bailli fait
« li jugemens; et autres lieux, là où li hommes du fief au seigneur les font. » Beaumanoir,
c. I, n° 15.

² Ann. 805. Bal., t. I, col. 396, etc. — Ann. 815. D. Bouq., t. V, p. 687, etc. — Le-
huërou, t. II, p. 585.

³ *Lex. Baj.*, c. XVI, ap. Bal., t. I, col. 106. — Bignon. notæ ad Marcull., ap. Bal., t. II,
col. 880.

« augmentum. Pari modo et si homines eorum pro quolibet excessu
« cujuscunque fredum dissolvebant, fretus qui exinde in publicum sperari
« potuerit, ad ipsas ecclesias fuisset concessus¹. »

Huic freda tribuebantur, quamvis judicandi jure non donatus esset, ut
multis constat exemplis : sic monasterio Sancti Florentis rex concedit
omnia justitiæ jura, « excepto incendio, furto, raptu, homicidio : quæ si
« fuerint reperta, a præposito ipsius potestatis, judiciariæ districtioni tra-
« dantur, nec hac occasione vicarii potestatem ingrediantur. » Judicibus
publicis, quum potestatem monasterii, ut reos manu caperent, non possent
ingredi, haud sane fas erat sibi bona sontis vindicare, et ideo freda in
usum monachorum a privatis agentibus monasterii exigebantur.

Ut homines ad freda etiamque ad omnia alia tributa vel telonea solvenda
cogerent, judicibus conferebatur jus distringendi, quo bonis contumacium
potirentur² : hæc quasi coercitio, sæpe *districtio*, *districtura*, *districtum*,
districtus vocatur : « Concedimus ut de villa illa et de omnibus Arimannis
« in ea morantibus omnem districtionem omnemque publicam functionem
« custodiant et observent....³. »

Non solum bona, sed etiam ipsa hominum corpora distringere licet :
« Comites convenient ad latrones distringendos⁴. »

Hinc nonnunquam *districtus* appellatur territorium in quo judex potes-
tatem suam exercet.

Immunitatis privilegio non jam homines de qualibet causa distringere
licet publicis judicibus, quos nunc distringent privati immunitatis agentes.

Immunitatis præcepto judices publici in villas aut curtes ingredi non
possunt, *ad causas audiendas, ad fidejussores tollendos* : id est, non ipsi
judicare possunt intra fines immunitatis, nec homines ad judicia publica
compelluntur, nec fidejussores seu vades judicio sistendi causa præstabunt :
quod nonnunquam etiam *pignorare* dicitur⁵. In chartis hæc sæpissime
occurrunt, ita ut nullus sit dubitandi locus : « Ut non possint homines
« eorum per malos byrgos publicos, nec per audientias admallare⁶. »

1 D. Rouq., t. V, p. 728.

2 Distringere, compellere ad aliquid faciendum, per mulctam, poenam, vel capto pignore.
Cang., v° *Distringere*.

3 Cang., v° *Herimanni*.

4 Bal., t. I, col. 499.

5 Bal., t. II, col. 1505, 1507. — Bign. notæ ad Marc., ap. Bal., t. II, col. 882.

6 D. Rouq., t. V, p. 728.

III. — Qua ratione judicandi sint immunitatum domini : homines intra fines immunitatis commanentes, etc.

Immunitate concessa, inquirere pretium esse mihi videtur :

1° Quo modo jam judicandi sint immunitatum domini.

2° Quo modo autem homines ejuslibet conditionis, intra fines immunitatis manentes.

3° Quo modo res sese habeant, quum lis quædam inter illos oritur et homines externos.

1° Immunitatum domini.

In civilibus causis ad placitum Comitum ipsi venire possunt, aut rem agentibus suis curandam committere, ut pluribus liquet exemplis : « Volumus « ut episcopi, abbates et abbatissæ eorum advocatos habeant, et justitiam « reddant ante comitem suum¹. — Ado, advocatus S. Dionysii expetit in « mallo publico, apud Comitem et scabinos suos villam quam injuste « quidam retinebant, etc.². »

Plerumque autem quum adversus potentem hominem, episcopum, abbatem, vel comitem, lis habetur, res ante Missos dominicos judicatur, ut ex Capitularibus patet; hæc tantum afferam exempla :

« Arluinus assertor vel causidicus et mandatarius Danieli archiepiscopi « et per ordinationem regis villas reposcit quas injuste Milo comes retinebat, « ante Missos regios cum quibus sedebant vassi dominici et nonnulli alii « judices. — Archiepiscopus Agilmarus cum suo advocato res et mancipia « sibi vindicat quæ retinuit injuste Comes Wigericus, ante Missos, qui « cum episcopis, vassis dominicis et Comitibus de communi tractabant « utilitate ad justitiam totius provinciæ³.

« Quum de servis ecclesiasticis lis orta esset inter advocatum Floriacensis « monasterii et advocatum Sancti Dionysii, colliguntur ab utriusque partibus « plurimi legum magistri et judices : huic placito aderant Missi a latere « regis : sed quum litem finire nequirent, eo quod Salicæ legis judices « ecclesiasticas res sub lege Romana constitutas discernere non possent, « visum est Missis dominicis] placitum Aurelianis mutare, ut nempe ibi « doctores et magistros legis romanæ invenirent⁴. »

Sed quam sæpiissime in ipso palatio ante Regem lites potentiorum homi-

¹ Cap. ann. 825.

² D. Bouq., t. V, p. 746.

³ Bal., t. II, col. 1594, 1467.

⁴ Adrevaldus, de Mirac. S. Bened., c. xxv.

num, quibus immunitatis privilegium concessum fuit, dijudicandæ sunt. Etenim immunitati plerumque adjungitur regia tuitio, quæ defensio etiam vel mundeburdum vocatur : *Tuitio ac mundeburdum immunitatis nostræ : sub mundeburdo nostræque libertatis defensione*, etc.¹.

In charta de mundeburde Regis et principis, hæc legimus : « Propter
« malorum hominum illicitas infestationes, sub sermone tutionis nostræ
« hunc cum omnibus rebus vel hominibus suis aut gasindis vel amicis, visi
« fuimus recepisse, ut sub mundeburde vel defensione illustris viri majoris
« domus nostri quietus debeat residere et sub ipso viro causas persequi². »

In alia formula, verba adhuc insigniora esse videntur : « Abbas tam se
« quam et ipsum monasterium cum omnibus rebus suis ad nos se plenius
« commendavit..... ergo præcipimus ut nullus abbatem, monasterium,
« nec homines, nec res suas inquietare nec condemnare, vel aliquid de
« rebus suis minuare omnino præsumat..... Et si aliquæ causæ adversus
« ipsum abbatem vel monasterium ipsius seu homines ejus fuerint, quæ in
« pago absque suo iniquo dispendio recte definitæ non fuerint, eas usque
« ante nos omnimodis fiant suspensas vel reservatas, et postea ante nos per
« legem et justitiam finitivam accipiant sententiam³. »

Pluribus autem præceptis immunitatum, et nonnullis talium judiciorum exemplis confirmantur formularum verba⁴.

« Quum Carolus in palatio suo resideret ad universorum causas audien-
« dum, vel recta judicia terminandum, episcopus Parisiensis et abbas
« sancti Dionysii venerunt, litem agentes de possessione Placicii monasterii :
« uterque strumenta donationis affert : itaque iudices, in dubio positi, ad dei
« judicium, ad crucis probationem confugiunt; duo homines, unus pro
« episcopo, alter pro abbate, conducti ad crucem stant brachiis expansis,
« donec trepidus et convictus appareat, qui partes episcopi defendebat....
« Nos igitur cum fidelibus nostris, Gherardo comite (sequuntur octo
« comitum nomina) et Anselmo comite palatii nostri, vel reliquis quam
« plurimis visi fuimus judicasse⁵... » — « Liceat eis qualemcumque sibi sua
« sponte elegerint advocatum habere, ipsumque advocatum nemo præsu-
« mat temerario ausu distringere, vel in tortum mittere, sed nostro coram
« Comite palatii res jam prælibati martyris sacri Juliani, absque alicujus
« inquietudine vel mora et dilatione, liceat inquirere. »

Ceterum ex Capitularibus videmus Carolum Magnum omnes potentio-

¹ Bal., t. II, col. 1595, 1408, 1441, etc.

² Marc., lib. I, form. 24.

³ Lindenb., form. 58. — Baluz., form. 5, *Indic. regalis*.

⁴ Bal., t. II, col. 354, 560, 1441, etc. D. Bouq., t. V, p. 698, etc.

⁵ D. Bouq., t. V, p. 734, 746; t. VIII, p. 645.

rum lites judicantem, quum imperator solus, ut ita dicam, nec facile, optimates ad obedientiam et ad regiam jurisdictionem subjungere possit: « Ut episcopi, abbates, comites et potentiores quique, si causam inter se « habuerint, ac se pacificare noluerint, ad nostram jubeantur venire præ- « sentiam, neque eorum contentio aliubi dijudicetur¹. »

Imo etiam ipse litem dijudicandam sibi reservat, præsertim si de crimine agitur.

« Ne comes palatii nostri potentiores causas, sine nostra jussione finire « præsumat. — Ut homines boni generis, qui infra Comitatum inique vel « injuste agunt, in præsentiam Regis ducantur; et Rex super eos districtio- « nem faciat carcerandi, exiliandi, usque ad emendationem eorum². »

Denique plura exempla afferre possem, quibus rex fidelem suum quemdam a jurisdictione Comitum penitus immunem præstat: « Ut nullus « Comes, nec ullus quilibet homo post, nomine regis vel dominorum pren- « dere, nec usurpare non præsumat de res fideli nostro, nec de filios, nec « de posteritate sua, nec in placitum distringere faciat, nisi ante nos, aut « posteritate nostra, nec ullum servitium unquam impendat³. »

2° *Homines intra fines immunitatis manentes.*

Aut omnino publicæ jurisdictioni auferuntur; aut solum pro certis quibusdam causis, a publicis iudicibus judicandi sunt, ita ut inter Comitem et immunitatis dominum dividatur juris dicendi disciplina.

In plerisque præceptis nullam exceptionem invenimus, quum nullus abhinc judex publicus intra fines prædictos ingredi possit *ad quaslibet causas audiendas*: igitur eos, qui hac immunitate fruuntur, in omni re jus dicere necesse est. Illud afferam eo insignius exemplum quod militi cuidam conceditur immunitas.

Carolus Magnus fideli suo Johanni villarem tribuit in villa Fontejoncosa, *ut habeat ille et posteritas sua absque ullo censu et inquietudine*. Post hæc, Ludovicus pius, aliis beneficiis concessis, jubet « ut nullus Comes, nec « vicarius, nec juniores eorum, nec ullus judex publicus illorum homines, « qui super illorum aprisione habitant, aut in illorum proprio, distringere « nec judicare præsumant: sed Johannes et filii sui et posteritas illorum « eos judicent et dstringant. Et quidquid per legem judicaverint stabilis « permaneat: » Has autem litteras ad Comitem illius pagi mittit imperator⁴.

Hæc etiam, in præcepto immunitatis episcopo Mettensi concessæ, legimus:

« Non homines eorum per mallos byrgos publicos nec per audientias,

1 D. Bouq., t. V, p. 685.

2 D. Bouq., t. V, p. 687.

3 D. Bouq., t. VIII, p. 558 et alias.

4 Bal., t. II, c. 1400, 1445.

« nullus ex iudicibus publicis debeat admallare, aut per aliqua iniqua ingenia præsumat condemnare..... illud addi placuit scribendum, ut de
« tribus causis, de hoste publico et wacta vel pontes componendum, illi
« homines bene ingenui, si negligentes apparuerint, exinde cum iudicibus
« nostris deducant rationes; sed non amplius vel minus¹ »

Jurisdictionis publicæ, quæ jam nulla est, locum omnino tenet immunitatis jurisdictio.

Sed aliquando non omnes causas amplectitur immunitas, quum quædam plerumque gravissima, Comitum justitiæ reserventur: « Pro majoribus causis,
« sicut sunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum invasiones et undecumque
« a vicino suo aut criminaliter, aut civiliter fuerit accusatus, et ad placitum
« venire jussus, ad comitis sui mallum omnimodis venire non recusent.
« Coeteras vero minores causas more suo, sicut hactenus fecisse noscuntur,
« inter se mutuo definire non prohibeantur². »

Sic *criminales actiones ad placitum comitis reservantur*; minores autem causas attingit familiaris jurisdictio, quæ *legitima* definitur. Præterea seniores jus habent homines suos distringendi ad justitias faciendas, quales ipsi inter se definire possunt: hic pactas ex fœdere quodam privatæ societatis condiciones, jura quæ *feudalia* dicuntur, agnoscere licet.

In alio capitulo hanc jurisdictionis divisionem reperimus: « Et nisi pro
« tribus criminalibus actionibus, id est homicidio, rapto et incendio, nec
« ipsi nec eorum homines a quolibet comite aut ministro judiciariæ potestatis
« ullo modo judicentur aut distringantur; sed liceat ipsis, secundum eorum
« legem, de aliis hominibus judicia terminare, et præter hæc tria, et de re et
« de eorum hominibus secundum propriam legem omnia mutuo definire³. »

In hac autem immunitatis concessione una tantum causa Comitum judicio reservatur:

« Humiliter deprecati sunt, ut concederemus Cameracensis ecclesiæ
« præsuli, ejusque successoribus, omnem quam regia majestas habet
« potestatem, scilicet legalis justitiæ disciplinam, excepto duntaxat stipite,
« quo comitis industria, mallo accersito, justitiam Dei et regis regaliter
« habet exhibere⁴. »

Sed cur plura exempla transcribam, quum satis manifesta sint quæ exponere mihi tantum in animo fuit.

Quo modo autem homines judicarentur intra fines immunitatis, nunc dicendum est.

¹ D. Bouq., t. V, p. 728.

² Cap., ann. 815, Bal., t. I, col. 550, 552.

³ Cap. ann. 844, ap. Bal., t. II, col. 27.

⁴ Charta Car. Calvi, ann. 865, ap. Miræum, *Dipl. Belg.*, lib. II, c. 10.

« In privatas eorum audientias agentes ipsius ecclesiæ unicuique de
« reputatis conditionibus directum faciant, et ab aliis simul percipiant
« veritatem : — Eos judicent secundum propriam legem¹. »

Ecclesiastici igitur homines de rebus ecclesiasticis judicantur *in communi concilio episcoporum*; quum de re criminali vel civili agitur, *ante tribunal quoddam ex ecclesiasticis compositum* :

« Ut clerici ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, apud ecclesiasticos
« judicentur, non apud seculares. — Clerici non secularibus iudicibus sed
« episcopali audientiæ reserventur². »

Vassi, qui beneficia quælibet possidere videntur, a paribus suis iudicari debent in curia domini senioris³ : sed hic etiam duo genera vassallorum distinguere necesse est, eos qui beneficia militaria *in feudo* acceperunt, et eos qui beneficia *in censu* possident; quibus senior ipse aut per agentes suos jus dicit; etenim qui pro terra colenda dat censum, qui sæpe *censitarius* vocatur, plebeius homo manebit, et lege villana iudicabitur : appellare tantum huic licet, quum injuste iudicatum est⁴.

Dominus immunitatis ipse aut per agentes suos sub jurisdictione sua eos liberos homines regit, qui sunt in illius potestate, qui intra fines immunitatis commanere videntur : erga eos locum Comitis occupat, et omnia jura in eos exercet, quæ prius a Comite in subditos exigebantur : « Ipsi homines
« qui in supradictis villis habitant, tale obsequium vel tale servitium supra-
« dicto episcopo vel successoribus suis faciant, vel serviant, quale ad
« comites nostros facere consueverant⁵. » Hæc passim occurrunt. Inter alia exempla videre est formulam, qua abbas quidam jus dicit de lite inter hominem liberum et colonum suscepta, quum uterque pariter in illius potestate commaneat⁶.

Coloni pariter huic jurisdictioni submittuntur; « ut servi, aldiones, libel-
« larii antiqui vel illi noviter facti, qui non pro fraude nec pro malo ingenio
« de publico se subtrahentes, sed per solam paupertatem et necessitatem
« terras ecclesiæ incolunt, ... non a comite vel a quolibet ministro illius ad
« ulla angaria seu servitium publicum vel privatum cogantur; sed quidquid
« ab eis juste agendum est, a patrono vel domino suo ordinandum est. Si

1 D. Bouq., t. V, p. 728, cap. ann. 815.

2 Bal., t. I, col. 706, 707, 998. — Cang., v° *Curia Christianitatis*.

3 « Jubemus ut vassalli episcoporum, abbatum et abbatissarum atque comitum et vassorum
« nostrorum, talem legem et justitiam apud seniores suos habeant, sicut eorum antecessores,
« etc. » — Adnuntiatio Kar. regis, ann. 869.

4 « La seconde manière de gens as qu'il est mestiers qu'ils somment lor seigneur...
« che sunt cil qui tiennent d'eus héritages vilains. » — Beaumanoir.

5 Bal., t. II, col. 1515, 1525, etc.

6 A. Cancian, t. III, p. 474.

« vero de crimine aliquo accusantur, episcopus primo compellatur, et ipse
« per advocatum suum, secundum quod lex est, juxta conditionem singu-
« larum personarum justitiam faciat, etc.¹ » Coloni magis ac magis liberis
hominibus de potestate assimilantur, sub nomine communi *villanorum*,
ruptuariorum (vilains, roturiers), ita ut liberorum conditio fiat in dies
humilior, dum servorum sors colonorum conditioni propior foret. Servi
autem omnino dominorum suorum juris erant : « De conjurationibus servo-
« rum volumus ut per Missos nostros indicetur dominis servorum illorum
« ut constringant eos². »

In insigni de Villis capitulari, Carolus Magnus ostendit qua ratione jus
in fisci diceretur : judices autem judicant familiam fisci, id est servos et
colonos, dein reliquos homines liberos *de partibus regis*, et Francos, *qui
in fisci* aut *villis nostris commanent* : Non dubito quin eodem modo
judices in immunitatibus agerent. Dum regia potestas prævalet, homines,
quicumque sint, seu Comitum, seu immunis domini jurisdictioni parentes,
regalis justitiæ tutelam requirere posse videntur : « Si reclamaverint quod
« legem eis non judicassent, tunc licentiam habeant ad palatium venire
« pro ea causa; et si ipsos convincere potuerint, quod legem eis non judi-
« cassent, secundum legem hæc emendare faciat. Et si aliquis episcopus,
« abbas aut abbatisa, vel Comes ac vassus noster suo homini contra
« rectum et justitiam fecerit, et se inde ad nos reclamaverit, sciat quia
« sicut ratio et lex atque justitia est, hoc emendare faciemus³. » Reges tamen
his clamatoribus justitiam repetentibus modum nonnunquam imponere
conantur : « Populo dicatur, ut caveat de aliis causis se ad nos reclamare,
« nisi de quibus aut missi nostri, aut comites eis justitias facere noluerint. —
« De clamatoribus, qui magnum impedimentum faciunt in palatio ad aures
« domini imperatoris; ne nos tædium propter eorum clamores patiamur,
« etc⁴. »

Postea vero, quum penitus eversa est regum auctoritas, nullam publicam
justitiam, cujus protectio possit requiri, reperire est; et dum vassallo ad
superiorem seniore confugere licet, homines de potestate, qui vulgo *villani*
dicuntur, senioris sui justitiam, quæcumque sit, pati coguntur : « Chacun
« des Barons si est souverain en sa baronnie, » ut ait Beaumanoir :

« Entre le seigneur et son vilain il n'y a de juge fors Dieu, tant comme
« il est tes coukans et tes levans (manentes), s'il n'a d'autre loi vers lui,
« fors la commune⁵. »

¹ Karoli Magni, capit. Langob., ann. 805.

² Cap. ann. 821.

³ Bal., t. I, col. 176; t. II, col. 215.

⁴ Karoli Magni, cap. ann. 805, 810; cap. Lud. pii, ann. 829, etc.

⁵ Beaumanoir, ch. XXXIV. — De Fontaines, ch. XXI, art. 8.

3° Quum scelus commissum fuit, aut ab injuria vel damno poena rependa est, qui queritur causam agere debet secundum legem rei.

Quid autem fiet, quum reus sub immunitatis privilegio versatur? « Ut nullus iudex, aut comes, aut aliquis liber homo, aut quælibet persona, prædictæ ecclesiæ ministros vel advocatos in mallo publico accusare præsumat; sed prius conveniat ministros rerum et iudices villarum atque hominum a quibus læsus est, ut ab eis familiarem et justam accipiat justitiam. Quam si accipere non valuerit, tunc conveniat episcopum jam dictæ ecclesiæ, ut ab ipso suam justitiam familiarem et bonam atque justam accipiat. Et si ab ipso episcopo neque a suis ministris suam justitiam accipere nequiverit, postmodum habeat licentiam ut in mallo publico suas querelas juste et rationabiliter atque legaliter quærat¹. »

Ea ratione agendum est, dum jurisdictio publica viget.

Quid rursus fiet, quum ille qui queritur intra fines immunitatis commanet? Tum ad immunitatis dominum, vel ad illius actores, agentes, ministros querelam suam deferre debet, secundum conditionem suam; homo de potestate ad iudicem suum, vassallus ad seniores, ecclesiasticus homo ad episcopum vel abbatem, et per illius agentes publicam Comitum jurisditionem adire, aut familiarem immunitatis alius jurisditionem, prout reus in potestate Comitum aut alicujus immunis domini vivat.

Res ita se habent, quum regia auctoritas publico imperio vere potitur, cui non semper omnes parere videntur, sed cui tamen satis virium superest, ut adhuc jussa possit imponere. Si violatoribus immunitatum, Comitibus scilicet aut potentioribus hominibus, minatur, immunes adhuc, quicumque sint, sub ditione continet, et pacem publicam observare cogit. Etenim « si quis aut Dominus aut comes, domesticus, vicarius fuerit, seu qualicumque que judiciaria potestate succinctus, qui immunitatem irrumpere et violare præsumperit, solidorum sexcentorum munere se cognoscat culpabilem, « ita ut duas partes in Archivium ipsius monasterii reddat et tertiam partem ad fiscum nostro sacello componat. » Aut « triginta libras auri probati componat, medietatem cameræ nostræ et medietatem sacro loco². »

Ceterum legere non poenitebit capitularia « de infracta immunitate, » et « ut in immunitatibus ecclesiarum mallum vel placitum publicum nemo tenere præsumat³. »

Sed alia ex parte immunitatis privilegio certos fines imponi necesse est: igitur rex jubet « ut latrones de infra emunitatem illi iudices ad Comitum

¹ D. Bouq., t. V, p. 756.

² Bal., t. II, col. 1505.

³ Bal., t. II, col. 565, 566, etc.

« placita præsésent. Et qui hoc non fecerit, beneficium et honorem perdat :
« et qui beneficium non habuerit, bannum solvat¹. »

Si reus quilibet, damno facto, intra immunitatem confugerit, « mandet
« Comes vel publicæ rei minister, vel Episcopo vel Abbati, vel Vicedomino,
« vel illi quicumque locum episcopi vel abbatis tenuerit, vel potentis homi-
« nis in cujus potestatem vel proprietatem confugerit, ut reddat ei reum. Si
« ille contradixerit, in prima contradictione solidis quindecim culpabilis judi-
« cetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, triginta solidis
« culpabilis judicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit,
« quidquid reus damni fecerit, totum ille qui eum infra immunitatem retinet,
« nec reddere vult, solvere cogatur. Et ipse Comes veniens licentiam habeat
« ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubicumque eum invenire
« potuerit. Si intranti in ipsam immunitatem Comiti, collecta manu, quislibet
« resistere tentaverit, Comes hoc ad Regem vel Principem deferat, ut sexcen-
« tis solidis culpabilis judicetur².

Hæc attente, ni fallor, meditanda sunt, quo facilius intelligamus, quæ-
tum vis esset immunitatis, et quæ tumultuosa horum temporum confusio.
Itaque immunitas nonnunquam plenior erat; et hæc verba haud semel
reperimus : « Si in eadem immunitate reus repertus fuerit vel dictus, a
« nemine distringatur, nisi a jam dicti loci mundatorio, nisi forte exinde
« ipsius latronis fuerit ejectio³. »

« Decrevimus ut nullus fidelium nostrum... ullam exactionem præsumat
« inferre, nisi... de incendio, vel furto, seu raptu aut etiam homicidio externo-
« rum hominum. Quæ si fuerint reperta, a præposito ipsius potestatis, judiciaræ
« districtioni tradantur, nec hac occasione vicarii potestatem ingrediantur⁴. »

Quum regiæ auctoritati nihil nisi nomen supererit, duo homines, diversis
in potestatibus commanentes, jam nullam agnoscent communem seu publi-
cam jurisdictionem : qui injuriam acceperit ad judices suos, quicumque sint,
veniet, ut *per admonitionem* justitiam de malefactore requirant. Sin autem per
admonitionem injuria non emendata fuerit, per vim agendum erit, et licebit
*prout potuerint de hoc vindictam quærere*⁵. Hic originem bellorum privato-
rum invenimus.

¹ D. Bouq., t. V, p. 647.

² Bal., t. I, col. 587, 759; t. II, col. 181.

³ D. Bouq., t. VIII, p. 360. — V. Pardessus : hæc verba ingeniose explicat : *des Justices patrimoniales*, p. 112.

⁴ Ann. 978, ap. Brussel, p. 592.

⁵ V. Chartam Laudunensem, etc.

IV. — Judices privati : advocati, vicedomini, præpositi, majores villarum.

Ille, qui immunitate donabatur, quidquid rei publicæ auferebatur, accipiebat; quum, ut supra diximus, tributa cujuslibet generis ab hominibus semper, ut antea, solverentur. « Quidquid aut de ingenuis aut de servientibus « ceterisque nationibus, quæ sunt infra agros vel fines suas, fiscus aut de « freda aut de undecumque potuerat sperare, in luminaribus ecclesiæ, per « manus agentium eorum proficiat in augmentum¹.

« Ipsi homines qui in supradictis villis habitant vel habitaturi sunt, tale « obsequium vel tale servitium supradicto Theodosio vel heredibus suis « faciant vel serviant quale Comitibus facere consueverant². »

Nunc de illis privatis iudicibus, quos apud immunes reperimus, dicendum est.

Sæpiissime *agentes, actores, ministri, ministeriales* vocantur: quæ autem fuerint horum omnium nomina vel officia exquirere haud facile esset; quæ diversissima et nonnunquam mutata fuere, quum nullæ leges existerint, quibus constituerentur: præterea, dignitatis et conditionis cujuslibet erant, prout immunitas plus minusve pateret.

Apud veteres auctores vulgo occurrunt *advocati, vicedomini, præpositi, etc.* et in inferiori gradu, *majores villarum, villici, villicarii, telonearii, poledrarii, cellularii, decani, viarii* seu *viatores, pedagearii* seu *receptores pedagii, numeratores, clausarii, falconarii* etiam et *venatores, etc.*³.

Primum omnes, aut saltem potentissimi, a Rege et ab immunitatis domino eligebantur: hic agenti suo *litteras advocacionis* conferebat, quibus perlectis, eum rex accipiebat et instituebat banno seu edicto suo: « Ut ille « advocatus seu iudex, commendante abbate, advocacionem habeat, eodem- « que petente bannum dominicum, a rege⁴.

« Rex defensorem et advocatum Gengulfum virum illustrissimum monasterio Besuensi instituit; quod ejus litteræ indicant⁵.

« Nullus iudex publicus, in locos vel agros, nisi defensor (id est advo-

¹ Marc., lib. I, form. 5.

² Bal., t. II, col. 1525.

³ Bal., t. I, col. 553, etc. — Guérard, *Cart. S. Petri*, § LXXIV. — Lehuéron, *Inst. Carol.*, p. 422.

⁴ In chron. Laurishamensi, Murenst, Hirsaugensi, etc.

⁵ Chron. Besuense.

« catus), quem ipsius loci congregatio et abbatissa voluntarie a palatio
« impetraverit, audeat ingredi ad causas audiendas, etc ¹.

« Pro reverentia S. Martini, Eligio rogante, Dagobertus rex illi ecclesiæ
« census omnem, qui fisco solvebatur, ex toto condonavit: atque ab eo
« tempore omne jus fiscalis census ecclesia sibi vindicat, et usque in præ-
« sens in eadem urbe, per pontificis litteras, comes instituit.

« Comitatum Camerensem in proprium donavimus, præcipientes ut epis-
« copus suique successores liberam dehinc habeant potestatem eundem
« comitatum in usum ecclesiæ supradictæ tenendi, comitem eligendi,
« hannos habendi. »

Quod præsertim fieri solet, post tempora Caroli Magni, quum ipsi immu-
nitatum domini eligunt et electos constituunt agentes suos, majores mino-
resve, qui etiam quasi hereditario jure officia sua retinent. « Remota procul,
« ut diximus, omni sæculari vel judiciaria potestate, liceat eis, qualem-
« cumque sibi sua sponte elegerint advocatum, habere ². »

Illi autem privati iudices non omnino primum a regia potestate vel potius
a Comitum et Missorum dominicorum auctoritate liberi erant, ut ex Capitula-
ribus patet:

« Ut episcopi, abbates atque abbatissæ advocatos atque vicedominos
« centenariosque legem scientes et justitiam diligentes, pacificosque et
« mansuetos habeant. — Ut pravi advocati, vicedomini, vicarii et centenarii
« tollantur a Missis, et tales eligantur, quales sciant et velint juste causas
« discernere et determinare ³. »

Judex ille his in locis habitare debet, ubi ministerium exercet suum :

« Episcopi vel potentes, qui in aliis possident regionibus, iudices vel
« missos discussores de aliis provinciis non instituant, nisi de loco, qui
« justitiam percipiant et aliis reddant ⁴. »

Plerique scriptores male, ut mihi videtur, hæc verba interpretati sunt,
quum dixerunt hoc præscriptum fuisse ut iudices sententias ferrent æquiores,
aut melius loci consuetudines cognoscerent.

Nonne enim clarius explicantur hoc ejusdem præcepti capitulo : « Ut si
« aliquid mali de quibuslibet conditionibus perpetraverit, de suis propriis
« rebus exinde quod male abstulerit, juxta legis ordinem debeat restituere. »

Hanc conditionem postea reperimus : « Ut episcopi et abbates advocatos
« habeant, et ipsi habeant in illo comitatu propriam hæreditatem ⁵. »

¹ Dipl. Loth. imp. ann. 846, pro monasterio S. Stephani Strasburgensis, ap. D. Bouq-
t. VIII, p. 582.

² Brussel, t. I, p. 507. — D. Bouq., t. VIII, p. 551.

³ D. Bouq., t. V, p. 639, 675, 680, 687, etc. — Bal., t. I, col. 520, etc.

⁴ Bal., t. I, col. 22.

⁵ Cap. ann. 815, ap. Bal., t. I, col. 509.

Judex privatus, seu advocatus, seu vicedominus, in loco designato, qui *sedes judiciaria* vocabatur, placitum publicum tenebat, et jus dicebat « omnibus « injuriam passis secundum idoneos ejusdem populi iudices, cæterorumque « consensum¹. »

Judex privatus hoc imperio muniri solebat, quo homines cogi possent, ut redhibitionibus et officiis cujuslibet generis fungerentur : bannum scilicet rex judici conferebat, quo homines suos distringeret vel constringeret : etenim quicumque iudicis *bannum habentis* mandato parere nolebat, multa afficiendus erat : « Ut bannus quem per semetipsum domnus imperator bannivit, « LX solidos solvatur. Cæteri vero banni, quos comites et iudices faciunt, « secundum legem uniuscujusque componantur². »

Primum rex ipse hanc coercendi potestatem concedebat, ut pluribus exemplis supra vidimus; quum cessat *mittere, facere, ponere bannum*, id est, redhibitionem vel exactionem quamdam imponere : « ut nullus iudex « publicus homines illius quocumque banno constringat », hanc immuni et illius agentibus transmittit potestatem, « nisi advocatus archiepiscopi³. »

« Ego Pippinus ditionis meæ castrum trado cum banno, omni justitia, « prætoris, cum omni jure et censu⁴. »

Hæc est conditio plerarumque immunitatum : immunes autem omni opentuntur, ut ipsi agentesque sui liberentur a ditione regis et actione Missorum; utque habeant facultatem tum eligendi iudices suos, tum eisdem bannum conferendi; dum alia ex parte iudices privati officium suum in perpetuum sibi retinere, et magis ac magis immunibus dominis subtrahere conantur.

In primis advocatos, vicedominos, præpositos reperimus.

Distinguere necesse est his in temporibus advocatos, qui causam alterius cujuslibet apud iudices defenderent, ex advocatis qui primum locum inter agentes immunitatis obtinere videntur. Illi enim eligebantur « in præsentia « comitum, non habentes malam famam, » et deinceps pro aliis agere solebant⁵:

« Si aliquis per simplicitatem suam agere nescit, veniat ad placitum; et « si rex aut iudex præviderit, quod veritas sit, tunc debeat ei dare hominem, « qui causam ipsius agat⁶. »

¹ D. Bouq., t. VI, p. 555; t. VIII, p. 382. — Bal., t. II, col. 825.

² Bal., t. I, col. 520.

³ Cang., v° *Bannum*.

⁴ Ann. 687, ap. Foppens, t. II, p. 1125.

⁵ Cap. ann. 801, ap. Bal., t. I, col. 552. — Non equidem reor *advocatos* comitum vicarios fuisse, ut nonnulli affirmant : Guizot, *Essais*, p. 275, 4^e édition.

⁶ Cap. ann. 802.

« Homo propter simplicitatem suam causas suas minime potest persequi
« vel admallare; petit ut illuster vir ille omnes causas suas in vice ipsius
« tam in pago quam in palatio nostro admallandum prosequendumque reci-
« pere debeat. » Hoc rex concedit, « dum taliter utriusque decrevit voluntas¹. »

Advocati immunitatum eandem originem ducere videntur, sed majorem personam agent. Officium advocati ex nona Marculfi formula novimus, quæ mandatum continet, « quo episcopus instruit advocatum ut investiget, in-
« rat, prosequatur et admallet per mallos, vicos, castella, oppida et civi-
« tates, necnon etiam, si necessitas incubuerit, in palatio, ante vicarios,
« comites, Missos dominicos, Comites palatii sive ante omnes judices, etc². »
Sæpe agentes, seu actores ecclesiarum vocantur. Immunitatis possessiones regis fisci assimilari videntur: et « sicut res fiscorum nostrorum a nostris
« defenduntur aut inquiruntur advocatis; ita et res ejusdem monasterii ab
« advocatis propriis defendantur. »

Sic ubique jura, utilitates immuni domini aut hominum qui intra fines immunitatis commanent, defendere, tueri solent, ut e formulis, legibus, præceptis patet, adversus potestates externas, ut verba hujus ætatis adhibeam. Monasteriis et ecclesiis præsertim advocatis opus erit, quorum magis ac magis crescet auctoritas, et potentiores etiam, advocati sæpissime facti, dominationem ipsi suam imponent, ut pretium protectionis³.

Vicedomini (vidames), ut ex nomine videmus, domini locum tenebant, ut illius bona regerent, utilitatem curarent, homines aut vassallos ecclesiarum in expeditionem ducerent et intra fines immunitatis jus etiam dicerent. Carolus Magnus jubet ut abbatissarum vicedomini ad placitum Missorum veniant: ecclesiæ Remensis vicedominus carcerum episcopalium curam habebat, etc⁴.

Hi judices, sicut advocati, plerumque fient potentes, et majores inter seniores numerabuntur.

Præpositi, seu præfecti vel prælores (prévôts) sunt judices qui nonnunquam vicedomini locum tenent, ut justitiam reddant, qui postea *baillivi* etiam vocabuntur. « Indiculus quem præpositus transmittit ad abbatem: Cognos-
« catis de isto servitio ubi nos transmisistis, per verbum illustris viri illius
« Comitis, sui juniores non exinde fecerunt, quomodo eis fuit demandatum⁵. »

Præpositi militares etiam viri fuisse videntur, ut ex Capitularibus indu-

1 Marc. lib. 4, form. 21.

2 Marculf., app. 9, — 1, 2, 3, 4, etc. — Bal., t. II, c. 322, 357, etc.; — D. Bouq., t. V, p. 746, etc.; t. VIII, p. 643, etc.

3 Cap. ann. 802, 813, 823. — Cart. S. Petri, LXXVIII. — Advocatorum officia clare describuntur in præcepto Ludovici pii pro monasterio Anianensi, d. Bouq., t. VI, p. 496.

4 Bal., t. I, col. 743. — Flodoard, *Hist. Rem.*, III, 28.

5 Bignon., form. 25, ap. Bal., t. II, col. 507.

cere licet; quum igitur in castris vel castellis manerent, vulgo *castellani* (châtelains) appellabantur¹. Illi autem laici præpositi cum ecclesiasticis præpositis, qui, secundi post abbatem, locum absentis abbatis tenebant, non confundendi sunt.

Inter inferioris ordinis judices vel agentes, memoremus *telonearios*, qui tributa vel telonea mercatus, pontis etc., percipiebant; *pedagearios*, *numeratores*, qui mergites seu garbas pro decimis numerabant; *clausarios*, qui camporum vel potius vinearum curam habebant; et præsertim *villarum majores*, qui sæpe præpositorum *servientes* (sergents) dicuntur; labores servorum et colonorum dirigebant, census vel tributa requirebant, metas agrorum constituiebant, ad respondendum citabant apud judices, multas exigebant, latrones distringebant, etc².

Horum omnium fortuna diversa erit: attamen quædam animadvertere licet.

Quum omnia quasi vincula publicæ societatis laxantur, immunitatum potentes domini sub ditione sua vel mundeburdo militares homines habent, quorum officia remunerari necesse est: ideo terras, agros illis concedunt in beneficio vel in feudo; sed præcipue omnia quælibet judicum munera sic tribuunt; advocatus igitur, vicedominus, præpositus etc., senioris fient vassalli; qui erga eum quibusdam officiis fungentur; at rursus partem majorem minoremve percipient ex censibus, tributis, teloneis, redhibitionibus cujuslibet generis, quæ subditis incumbunt; hæc autem officia sæpe *justitiæ infeodatæ* vocantur. Quibus autem concessis, plerumque a dominis quædam prædia concedebantur: ceterum judices illi, vel *justitiiarii seniores*, intra fines jurisdictionis seu potestatis, terram quamdam possidere, et castellum in hac terra constructum habitare solebant, ex quo egrediebantur, ut regionem defenderent, aut potius ut exactiones solitas exercerent: cujus ad mœnia villani *wacta* et *excubias* impositas facere non desinebant.

Quum privati judices domini bona administrarent, et simul tributa perciperent quæ illius juris erant, nonnunquam, si viribus pollerent, omnes sibi retinebant seu bonorum seu tributorum fructus: sic ubique videmus episcopos in civitatibus, et monasteriorum abbates adversus advocatos suos, vicedominos, etc., depræliantes: hi judices homines de potestate exactionibus innumeris onerant, quarum partem episcopi seu abbates frustra expetunt³.

Mox etiam omni ope nituntur, ut sua officia hereditario jure conservent; et majores ipsi villarum, sicut vicedomini, hunc finem sibi propositum

¹ Bal., t. II, col. 355. — D. Bouq., t. VIII, p. 644. — Guérard, *Cart. S. Petri*, LXXIJ.

² Guérard, *Cart. S. Petri*, LXXIV et CXVIIJ. — Cang., his verbis.

³ « Quum quotidie videretur minorari status et justitia sanctæ matris ecclesiæ, maxime ab illis, qui advocati sanctorum locorum esse deberent et defensores; illi e contrario prædatores « fiunt et raptores. » — D. Bouq., t. X, p. 598.

feliciter attingunt; ita ut officia sua transmittant, vendant, commulent aut quibuscumque concedant. Advocati, vicedomini, præpositi qui præsertim bona monasteriorum tuentur et regunt, sæpissime per se ipsos viribus valentes, hæc etiam bona, quæ defendere deberent, violenter diripient aut usurpabunt; *vicedominas* reperimus, quæ conjugibus suis *vicariam*, ut dotem, afferunt¹. Quin majores ipsi villarum seu *villicarii*, qui servorum et colonorum labores dirigebant, primum inter homines mediocris conditionis eligebantur, qui fideles essent, ut ex Capitularibus patet, et quam diligentissime cavebatur, ne sua auctoritate abuti possent²: attamen mox in officiis suis fiunt potentes, quæ, ut possessiones aut feuda retinent et viduis aut filiabus, *majorissis* scilicet, transmittunt; fiunt nobiles, scutum et ense ferentes, non jam *timent*, sed *superbia tument*, et nonnunquam dominorum suorum jurisdictionem denegant: semper omni ope student ut sese quolibet servitio liberent, dum contra jura sua extendere conantur, et adversus abbates luctantur, qui eorum exactionibus parum feliciter obstare videntur³. Quædam tantum transcribere libet, quibus Carnotensis episcopus sublevari jubet magna gravamina, quæ majores villarum in rusticos exercebant.

« Sacramentum majorum ecclesiæ Carnotensis: a rusticis meæ majoriæ non
« exigam aurum vel argentum, neque frumentum aut avenam, non hume-
« ros porcorum, non tortellos aut ova, neque corveias aliquas araturæ ab
« ipsis, neque ab uxoribus eorum corveias lanificii, vel cujuslibet alterius
« rei, per me vel per uxorem meam, neque per aliquam aliam subpositam
« personam.

« Non exigam ab eis revelationes terrarum vel aliarum possessionum,
« decedentibus patribus vel aliis possessoribus earum; neque de conjugandis
« feminis; venditiones neque medietates habebo cum rusticis, neque eos
« mittam in plegium.

« Neque tenebo placita eorum ante me, neque submonebo eos sine jussu
« præpositi.

« Non patiar quod servientes præpositi apud rusticos meæ majoriæ hospi-
« tium habeant, neque ab eis quidquam exigant, nec annonam, nec avenam,
« nec ovem, nec agnum, . . . nec corveiam aliquam ab eis exigant, etc., etc⁴. »

1 *S. Petri Cartularium*, Guérard, p. LXXVIII.

2 Vide *Judicium villarum regiarum exactiones*, ap. Bal., t. II, col. 116. — Cang., v° *Vicarii servi*. — Nequaquam de potentioribus hominibus majores fiant, sed de mediocribus, qui fideles sunt. Bal., t. I, col. 559.

3 Guérard, *Irmén. Polypt.*, t. I, p. 431. — *S. Petri Cartul.*, p. LXXIV, etc.

4 *Ibid.*, p. cxix, cxx, etc.

CAPUT SEXTUM.

I. — *Militia in immunitate: qua ratione homines, in immunitate manentes, militia fungantur. — Expeditio ad hostem, excubie.*

Formulae et praecepta immunitatum rem militarem non attingere solent: ex legibus autem et scriptis illius ætatis videmus homines episcoporum, abbatum, potentiorum quibus hæc privilegia conceduntur, militia fungentes et omnibus publicis oneribus ad eam pertinentibus.

Sed plerumque Comitum potestati non jam parere videntur: etenim Missi ipsi, sæpissime ad hoc constituti, inquirere debent diligenter, quot liberi homines in singulis comitatibus maneant, ut describant, qui in exercitalem ire expeditionem possint¹.

Liberos homines et vassos regios congregat comes, quos deinde ducat ad locum, ubi convocatur generale placitum: « De vassis dominicis statutum est, ut quicumque ex eis cum domino imperatore domi remanserint, vassos suos casatos secum non retineant, sed cum comite cujus pagenses sunt ire permittant. Ipse comes prævideat quomodo sint parati, id est lanceam, scutum aut arcum cum duos cordas, sagittas duodecim de his uterque habeant². » Qui autem immunitate donantur, iisdem funguntur officiis: « Episcopi et abbates hos homines habeant, qui hoc bene provideant, etc. » Igitur ad illos imperator, sicut ad Comites, *litteras convocationis* mittit.

« Karoli Magni encyclica de placito generali habendo: — Fulrado abbati: « quapropter præcipimus tibi ut pleniter cum hominibus bene armatis venias, « ut inde in quamcumque partem nostra fuerit jussio, exercitaliter ire possis, « id est cum armis et utensilibus³. » — Quæ sequuntur legenda sunt, ut nihil sit dubii. Attamen quum ipsi homines ducere nequeunt, illi sub imperio

¹ Bal., t. I, col. 672. — D. Bouq., t. V, p. 685.

² D. Bouq., t. V, p. 687.

³ D. Bouq., t. V, p. 635.

comitis præceptum peragunt iter: « Misi homines nostros, inquit Lupus
« Ferrarensis, cum comite pagi, qui expeditionis officia more solito exseque-
« rentur; sed ipse gravatus infirmitate suppliciter oro ne ad placitum ire
« cogar¹. »

Homines autem qui hoc officio funguntur, aut beneficia tenent ex immu-
nitatum dominis, aut propria tantum possident sub eorum dominatione:
« de hominibus nostris et episcoporum et abbatum, qui vel beneficia, vel
« talia propria habent, ut ex eis secundum nostram jussionem in hostem
« possint pergere, etc.² »

Si Carolus Magnus insigni præcepto vetat, ne quis episcopus aut abbas
inter prælia sanguinem effundat, semper ab illis ducendi aut mittendi sunt
homines bene armati, qui militia fungantur: « Suos homines nobiscum aut
« cum quibus jasserimus dirigant³: » nonnulli autem reclamavere, et diversis
ex causis hæc imperatoris jussa parum cessisse videntur; quid enim illud
capitulare significat? « Quoniam quosdam Episcoporum ab expeditionis
« labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem vestra indulgentia cunctis
« optabilem largitur quietem, præcavendum est utrisque ne per eorum
« absentiam res militaris dispendium patiatur. Itaque, si vestra consentit
« sublimitas, homines suos reipublicæ profuturos cuilibet fidelium vestrorum
« quem sibi utilem judicaverint, committant, cujus diligentia ne se ab
« officio subtrahere valeant observetur⁴. »

Non omnes igitur episcopi a militari officio erant immunes.

Ex pluribus Eginhardi et Lupi litteris constat abbates, amplissimis etiam
immunitatibus ornatos, hoc onus, licet invitos, sustinuisse, quum nonnun-
quam vehementer querantur et supplici voce deprecantur, ut ipsi præsertim
suique interdum homines, frequentibus exhausti expeditionibus, belli
difficultatibus fatigati, hoc anno saltem liberentur. Nonne, multa inter
alia, hæc scribit Lupus abbas, quum talem gratiam sibi postulat: « Ego
« hostem ferire ac vitare non didici, nec vero cætera pedestris ac equestris
« militiæ officia exsequi; nec rex noster solis bellatoribus indiget⁵. » Igitur
haud diu stetit Caroli Magni constitutio, qua episcopi et abbates a præliis
removendi erant: ingruentibus quippe Danorum incursibus, in hostem
cum vassallis suis submoneri cæpere: ut ait Flodoardus, Rex Carolus
Hincmaro non solum de rebus ecclesiasticis, sed et de populo in hostem
convocando, ut ipse hoc ageret, mandare solebat; et ipse, accepto Regis
mandato, tam Episcopos quam Comites convocare solebat⁶.

¹ D. Bouq., t. VII, p. 481.

² D. Bouq., t. V, p. 683.

³ D. Bouq., t. V, p. 668, 674.

⁴ Bal., t. II, col. 17.

⁵ D. Bouq., t. VII, p. 505.

⁶ Flodoardi, lib. III, cap. 48. — Cangius, v^o *Hostis*.

Ceterum, quodcumque sit, militares homines in expeditionem ire jubentur :

« Missi nostri providentiam habeant qualiter unusquisque Episcopus, vel
« Abbas, seu Abbatisa, cum omni plenitudine et necessario hostili apparatu
« et ad tempus suos homines illuc transmiserit cum guntfanonario qui de
« suis paribus cum Missis nostris rationem habeat, etc¹. »

Hic profecto agnoscere licet vicedominos et advocatos, de quibus supra diximus. Sed ecclesiastici homines a servitio militari immunes erant : itaque liberos homines, qui se ad servitium dei tradere volebant, a rege licentiam prius postulare necesse erat. Nam audivimus, ait Karolus Magnus, « aliquos ex illis non tam causa devotionis, quam exercitu seu alia functione regali legiendo, ecclesiasticam immunitatem expetere². »

Hoc publicum officium, quod vocari solet *ad hostem* (unde verbum *host*), varia onera amplectitur : *expeditionem* scilicet, *excubias* et *operas quasdam* ad rem militarem pertinentes : « Sicut cæteri homines liberi cum comite suo
« in exercitu pergant. — In marcha nostra, juxta rationabilem ejusdem
« comitis ordinationem explorationes et excubias, quod usitato vocabulo
« wactas dicunt, facere non negligent. — Ad civitates novas et pontes ac
« transitus paludium operentur³. »

Plerumque qui pauperiores erant, et in hostem pergere haud facile poterant, his laboribus operam dare, et in civitate seu marcha wactas facere jubebantur ; dum militaris expeditio, ut ex multis capitularibus constat, illis præsertim incumberet, qui ditiores erant⁴.

II. — Num Carolus Magnus bella privata permiserit?

Rei militari quam optime constituendæ omni ope studuerunt reges, et imprimis Carolus Magnus ; itaque nescio qua singulari immunitate bella civilia inter privatos, inter potentes permisisset et auctoritate sua quasi consecravisset hic imperator. Attamen a plerisque, plus minusve mirantibus, transcribuntur hæc verba, quæ male intelligere mihi videntur :

« Ut si quis de fidelibus nostris contra adversarium suum pugnam aut
« aliquod certamen agere voluit, et convocaverit ad se aliquem de comparis

¹ Bal., t. II, col. 199.

² D. Bouq., t. V, p. 675.

³ Bal., t. II, col. 187.

⁴ D. Bouq., t. V, p. 727.

« suis ut ei adiutorium præbuisset, et ille noluit, et exinde negligens permansit, ipsum beneficium quod habuit, auferatur ab eo, et detur ei qui in stabilitate et fidelitate sua permansit¹. »

Primum nonnulli legerunt *cum fidelibus suis*, quod omnino sensum mutat : deinde nonne sic interpretandum est : vassallus debet auxilium ferre seniori suo, qui, regis videlicet fidelis, publica quadam potestate munitur, adversus eos qui paci publicæ adversantur. Quod probare licet : etenim episcopi queruntur apud Ludovicum pium de calamitatibus quas afferunt privatorum hominum vindictæ et armatorum violentiæ; quid autem dicunt? « Noscimus quia pernixa inventionem a nonnullis usurpatum est, ut hi qui nullo ministerio publico fulciuntur, propter sua odia et diversissimas voluntates pessimas, indebitum sibi usurpant in vindicandis proximis et in interficiendis hominibus vindictæ ministerium². »

Num, quum hæc legimus, bella privata permissa fuisse possumus arbitrari? Quæ profecto, vel invito rege, jam existunt, sed per tumultum et contra legem, quum solis hominibus, qui publico ministerio fulciuntur, fidelibus scilicet, legitimum mandetur vindictæ ministerium. Ergo Carolus Magnus hæc privata bella prohibet, quum capitularia scribit « de armis infra patriam non portandis³ », et illius successores, quantum possunt, hoc exemplum sequuntur : quæ bella vulgo *collectæ* dicuntur : « Collectam ad malum faciendum omnibus modis prohibemus fieri. Et si per negligentiam comitis vel factæ fuerint, vel inemendatæ remanserint, hoc ad nostram notitiam perferatur. Auctores vero facti, si fuerint præpositi vel advocati sive sculdassii, vel qualibet alia dignitate prædita persona, ... etc.⁴ »

His autem insignibus verbis, qui soleant horum tumultuum auctores esse videmus, quos regis auctoritas frustra refrenare conatur : has collectas (quasi collecta manu) nonnunquam *heriszuph* vel *gelda*, *geldonias* (ghildes) appellatas reperire est : nam res publica undique deseritur, et magis ac magis novas vires et novam audaciam privata fœdera acquirunt⁵.

¹ D. Bouq., t. V, p. 688. — Bal., t. I, col. 510. — Cf. Hoc capitulum : « Quicumque ex eis, qui beneficium Principis habent, parem suum contra hostes communes in exercitum pergentem dimiserit, et cum eo ire aut stare noluerit, honorem suum et beneficium perdat. » D. Bouq., t. V, p. 684.

² Petitio episcoporum ad Hludovicum I, imper., a. 829.

³ D. Bouq., t. V, 672, 674, 676. « Ut nullus ad mallum vel ad placitum infra patriam, arma id est, scutum et lanceam portet. »

⁴ Bal., t. II, col. 353 et alias. — D. Bouq., t. VI, p. 442.

⁵ Bal., t. II, col. 65, 162, 290, 815, etc.

III. — Immunitas a militia.

Homines, qui sub potestate immunis cujusdam commanent, militia funguntur, ut antea; sed immunis dominus vel senior comitis locum tenet: « De
« liberis hominibus, qui super terram ipsius supradictæ ecclesiæ Parisiæ
« commanere videntur, ac eam perservire noscuntur, volumus ut.... nullus in
« hostem pergat nisi una cum Episcopo ipsius ecclesiæ, vel secundum suam
« ordinationem remaneat¹. »

Illi autem quasdam utilitates inde percipiunt; etenim sic subtrahuntur Comitum ditioni, qui sæpissime sua abutebantur potestate, ut liberos homines opprimerent: « Illum semper in hostem faciunt ire usquedum pauper
« factus nolens volens suum proprium tradat aut vendat. — Pauperiores
« constringunt, et in hostem ire faciunt, et illos qui habent quod dare possent, ad propria dimittunt, etc.² »

Deinde facilius rei militaris onera effugiunt: « Sunt qui remanent et
« dicunt quod seniores eorum domi resideant, et debeant cum eorum senioribus
« pergere ubicumque jussio domini imperatoris fuerit: alii vero qui se
« ideo commendant ad aliquos seniores quos sciant in hostem non profecturos³. »

Ceterum rex ipse potentioribus hominibus permittit, ut secum domi retineant plures homines militiae immunes: « Volumus ut homines fidelium
« nostrorum, quos nobiscum in servitium nostrum domi reservare jussimus, in exercitum ire non compellantur, sed aut ipsi domi remaneant, vel
« in servitio dominorum suorum⁴. Comes duos homines domi cum uxore
« illius relinquat; et quanta ministeria unusquisque comes habuerit, toties
« duos homines ad ea custodienda domi dimittat.... Episcopus vel abbas
« duos tantum de casatis et laicis hominibus suis domi dimittant, etc.⁵ »

Sed potentes, quicumque sint, hunc modum parum observavisse videntur: « Episcopi enim et abbates sive comites dimittunt eorum liberos homines
« ad casam in nomine ministerialium: similiter et abbatissæ: hi sunt
« falconarii, venatores, telonearii, præpositi, decani, et alii qui Missos recipiunt et eorum sequentes⁶. »

¹ D. Bouq., t. VI, p. 524.

² Bal., t. I, col. 485, etc.

³ D. Bouq., t. V, p. 685.

⁴ D. Bouq., t. V, p. 684.

⁵ D. Bouq., t. V, p. 685.

⁶ D. Bouq., t. V, p. 682.

Jam hanc immunitatem nonnulli pretio vendere solent: « Si aliqui
« inventi fuerint, qui vel pretio se redemissent, vel dominis suis permitten-
« tibus, domi remansissent, bannum nostrum revadient, et fidem faciant et
« persolvant. Domini vero eorum qui eos domi remanere permiserunt, vel
« ministeriales eorum, qui ab eis pretium acceperunt, similiter bannum
« nostrum revadient¹. »

Ludovicus autem pius non numerum determinare videtur eorum, qui
domi remanere possunt: « Vassi nostri et vassi episcoporum, abbatum,
« abbatissarum et comitum qui anno præsentē in hoste non fuerunt, heri-
« bannum rewadient; exceptis his, qui propter necessarias causas et a
« domino et a genitore nostro Karolo constitutas, domi dimissi fuerunt; id
« est, qui a comite propter pacem conservandam et propter conjugem et
« domum ejus custodiendam, et ab Episcopo, vel abbate, vel abbatissa
« similiter propter pacem conservandam, et propter fruges colligendas et
« familiam constringendam et missos recipiendos dimissi fuerunt². »

« Si quælibet persona libera a Prælati præscripti monasterii ex rebus
« ejusdem quippiam beneficiario munere assecuta fuerit, pro persona liber-
« tatis suæ iter exercitale, sicut cæteri homines, faciat. Et hoc concessimus,
« ut ex iis personis quæ beneficium habent, qualescunque abbatissæ
« ejusdem monasterii voluerint, cunctæ domi remaneant, propter neces-
« sitates earundem Deo militantium procurandas; cæteri vero pro persona
« ingenuitatis suæ itinera hostilia exerceant³. »

Mox inter bella civilia, summa erit omnium rerum confusio: non jam
audientur Missi dominici; regia quidem auctoritas, ut antea, imperare vide-
tur, sed regum jussa nemo exsequitur; tum homo potens, immunitate
ornatus, nullo jam tenetur officio erga rempublicam, et hominibus potestati
suæ parentibus, ad privata gerenda bella utitur. Attamen his in temporibus
discernendum est, expeditionem quæ sæpe vocatur *hostis*, *l'ost*, et perban-
num jubetur, a *caballatione*, *cavalcaria*, *cavalcata* (la chevauchée) quæ
domino seniori a vassallo tantum debetur, dum expeditio militaris ab
omnibus exigitur, ab iis etiam qui nullum possident feudum⁴.

Excubiæ igitur, *wactæ* (les guets et gardes) non pro feudali, sed pro justituario
servitio haberi debent: circa *castrum* seu *castellum* senioris, qui jurisdictione
potitur, agi solent: sic Comes Vindocinensis, quum consuetudines et *majorem*
justitiam de Mazengeio remittit, hæc tamen sibi jura retinet: « 1^o Quod
« homines de Mazengeio et toto territorio appendente, pro necessitate mea,
« castro meo Vindocino reddent custodiam. »

¹ Bal., t. I, col. 565. — D. Bouq., t. V, p. 685.

² Cap. ann. 812, 819.

³ D. Bouq., t. IX, p. 454.

⁴ Gaguin., v^o *Hostis*.

« 2° Si in expeditionem iter per villam de Mazengeio fecerim personaliter, « propriam personam meam sequentur, ita quod eodem die quo moti fuerint, « poterunt ad propria remeare¹. »

Sæpe pro militaribus operibus solvuntur quædam redhibitiones, præsertim in ecclesiasticis immunitatibus, quæ vulgo *ad hostem*, *hostilitium* vel *heribannum* vocantur².

In quodam hujus ætatis præcepto hæc legimus : « Nullus iudex publicus « ingredi audeat, ad hostilitates, vel mansiones aut paratas faciendas³. » Quid hæc talia significant? Militiane homines eximebantur, an solum rebus quæ præbendæ erant ad expeditionem? Ceterum ex pluribus exemplis constat, multas ecclesias et multa monasteria petivisse et obtinuisse, ut homines sui ab illo publico officio liberarentur. In anno 817, duodeviginti monasteria hoc privilegio fruuntur⁴; et illud aliis concedit Ludovicus imperator : quod etiam mox fieri consuetudo videtur. Etenim cœnobio S. Mauri largitur immunitatem ceteris immunitatibus similem; « quemadmodum cæteri abbates consis- « tunt, ita et illum cum rebus vel hominibus eidem monasterio juste « subjectis consistere faceremus, » et post donationes consuetas, « semper « habent defensionis nostræ regalis libertatem absque militari servitio⁵. »

Homines autem, qui intra fines immunitatis commorantur, non ipsi ab omni militari officio sunt immunes; quum solum rei publicæ jura ad partes domini privati transferantur. Itaque homines feudales seu vulgo milites, vassi abbatum aut episcoporum, beneficia habentes, feudale servitium ex pactis conventionibus debent, dum ceteri heribannum solvunt, et wactas custodiunt : heribannum igitur inter justitiaras consuetudines habetur, et wactæ aguntur, non jam in civitate aut in marcha, sed apud castellum vicedomini senioris vel advocati, non a militibus seu nobilibus, sed ab ingenuilibus colonis.

¹ *Cart. Sancti Petri*, cxxxii, note.

² Cangius, v° *Capaticum*; v° *Heribannum*; v° *Hostis*. — *Polypt. Mon. Fossatensis*, ap. Bal., t. II, col. 1158, 1589, etc. — *Polypt. S. Remigii*. — *Cart. S. Petri*, passim.

³ D. Bouq., t. V, p. 719. — « Eis concedimus *hostes*,.... ad civitates sive ad castella « custodienda, seu quæcumque publica obsequia. » D. Bouq., t. VIII, p. 454.

⁴ Bal., t. I, col. 589, 684. — *Notitia de monasteriis, quæ regi militiam, dona, vel solas orationes debent*, ap. D. Bouq., t. VI, p. 407.

⁵ Bal., t. II, col. 1456, 57. — « In anno 825 Ludovicus immunitatem concedit ecclesiæ « Brivatensi, nisi tantum ad partem regis annuatim caballum unum cum scuto et lancea « præsentent, et in postmodum ab omni exactione vel functione publica aut privata immunes « et liberi sint. » Bal., t. II, col. 1426.

CAPUT SEPTIMUM.

I. — Jus publicæ disciplinæ : potestas; animadversio in facinorosos homines.

In formula, qua iudex publicus instituitur, hæc legimus : « Commanentes
« recta tramite secundum legem et consuetudinem eorum regas, viduis
« et pupillis maximus defensor appareas; latronum et malefactorum
« scelera a te severissime reprimantur. » Hoc pacis publicæ conservandæ
officium nonnunquam ab ipsis Romanis vocatur *potestas*; quod verbum
sub regibus primæ et secundæ stirpis auctoritatem et iudicem, qui eam
possidet, significare solet : *judiciaria potestas*, *principalis potestas*, *potestates
exteræ*, id est iudices sæculares : *nullus iudex publicus, nec ulla potestas*, etc.
« Aut de fisco, aut de potestate episcopali, aut de potestate comitali, sive de
« franchisia. — Mansos quos de potestate comitali dominus Jonas regia auc-
« toritate adeptus est. » *Potestas major* pro mero imperio, pro alta iustitia,
ut postea dicetur, sæpissime habetur¹.

Hoc etiam verbo designatur territorium cujus intra fines hæc potestas,
quæcumque sit, exercetur : « Minora placita comes habeat, sive intra suam
« potestatem, vel ubi impetrare potuerit, excepto in ecclesia et porticibus. —
« Si immunitatem vel potestatem aut proprietatem alicujus potentis confu-
« gerit, etc. 2 »

Itaque homines, qui in hoc territorio habitant et huic potestati submit-
tuntur, vulgo *homines de potestate* vocantur, sicut *villani* (vilains) a villis,
aut *manentes* (manants), *pagenses*, *burgenses*, etc. Animadvertamus ergo
nec villanos, nec homines de potestate re vera sub ditione *feudalis* senioris
fuisse, quemadmodum *justitiario* seniori non vassalli, sed *pagenses* seu
burgenses, parere cogebantur.

¹ Bal., t. I, col. 422, 4055, 1115, etc. — D. Bouq., passim. — Cang., v° *Potestas major*,
v° *Comitalis potestas*.

² Bal., t. II, col. 254, 181, etc.; et D. Bouq., passim.

Immunitatis privilegio immuni conceditur hoc jus publicæ disciplinæ intra fines potestatis ejus : « Nullam potestatem igitur judex publicus « habeat, etc. » Quæ vero sint præcipuæ partes hujus publicæ disciplinæ?

Ut comes in comitatu suo, sic immunis dominus in immunitate facinorosos homines, *fures* aut *latrones*, *maleficos* aut *sortiarias* vel *auguriatrices* persequitur et deprehensos castigat¹. Si comes carcerem habere debet, si judices et vicarii publici, patibulos, quibus suspendantur, qui ante comitem damnati fuerunt; eadem reperimus in immunitatibus : potentes enim immunes in carceribus suis reos detinent, et ipsi judices privati eorum curam suscipiunt² : sic ecclesiæ Remensis advocatus episcopi carceres administrat³.

II. — Castrum vel castellum : opera castellorum; viarum et pontium cura.

Castellum potestatis signum esse videtur : itaque primum nemini licet castellum ædificare, nisi permissione regis, qui hoc privilegium solummodo concedit iis qui partem quamdam publicæ auctoritatis exercent : « Volumus et expresse mandamus ut quicumque istis temporibus castella « et firmitates et haias sine nostro verbo fecerunt, Kalendis Augusti omnes « tales firmitates disfactas habeant, quia vicini et circummanentes exinde « multas deprædationes et impedimenta sustinent⁴. »

Sed, vel invitis Regibus, ubique castella muniebantur, unde vicinam regionem potentes facilius opprimerent : sic fluviorum, silvarum aut montium transitus occludebant, ut tributa exigent et redhibitiones cujuslibet generis per vim imponerent, sicut innumeris admodum exemplis videre licet : « Hugo « concedit S. Petro cœnobii Carnotensis consuetudinem telonei quod apud « Vernonem castrum nostrum usque nunc acceptus est. »

« Concedo exactionem telonei de navibus S. Petri, quæ sub munitione « nostræ Rupis per Sequanam transeunt Rotomagum⁵. »

Sed, quotiescumque licet, castella evertuntur, aut ædificanda prohibentur : « Nullam munitionem vel domum firmam ibi construere eis licebit⁶. » Plerumque opera, quibus construuntur aut reficiuntur hæc castella, hominibus

¹ Bal., t. I, col. 350; t. II, col. 250, etc. — D. Bouq., t. V, p. 660.

² Bal., t. I, col. 509. — D. Bouq., t. V, p. 687.

³ Flodoard, *Hist. Rem.*, III, 28.

⁴ Bal., t. II, col. 195.

⁵ *Cart. S. Petri*, p. 178, 182, etc.

⁶ *Cart. de Marchiennes*.

de potestate incumbunt: hinc *opera castellorum*, quæ inter exactiones habentur, et quæ postea consuetudines fiunt¹.

Si Carolus Magnus bella privata non permiserit, ex pluribus capitularibus constat homines, qui ministerio publico fulciebantur, hoc jus belli, hanc *districturam* accepisse, ut pacem tuerentur, et tumultus ac seditiones reprimerent: quod facile usurpavit quilibet potens immunitate regia donatus.

Denique iudices publici viis, pontibus et aggeribus vel exstruendis vel reparandis curam impendebant:

« Fuit consuetudo in illis temporibus ut ubicumque aliquod opus ex
« imperiali præcepto faciendum esset, si quidem pontes, vel naves, vel
« trajecti, sive purgatio, seu stramentum, vel impletio coenosorum itin-
« rum, ea comites per vicarios et officiales suos exsequerentur, in minoribus
« duntaxat laboribus; a maioribus autem et maxime noviter exstruendis,
« nullus ducum vel comitum, nullus episcoporum vel abbatum excusaretur
« aliquo modo². »

Etenim « ut de restauratione ecclesiarum vel pontes faciendum, aut
« stratas restaurandum omnino generaliter faciant; sicut antiqua consue-
« tudo³. » — « Comites reddent rationes de eorum pagensibus, homines nostri
« in nostram præsentiam venient. Sed homines ecclesiastici non compellantur
« ad opera per alium exactorem quam rectorem ecclesiæ⁴. »

Qui autem in immunitatibus habitant, iudicibus publicis submituntur *de*
hoste publico, de wacta, vel pontes componendum; « ad civitates novas et
« pontes ac transitus paludum operentur⁵. » Hoc etiam alio capitulo decla-
ratur: « Nemo ex his qui pontes faciunt, aut de immunitatibus aut de fiscis,
« aut de liberis hominibus, cogantur pontaticum de eodem quem fecerunt
« ponte persolvere⁶. »

Sed Carolo Magno etiam regnante, jam viarum aut pontium cura deseritur
tum a Comitibus, tum ab illis qui hoc officium susceperunt et ex illis telonea
colligunt: « qui illos honores tenent de quibus ante pontes facti vel restau-
« rati fuerunt⁷. »

1 Cangius, v^o *Castellum*. « Et wirpivit exactiones quas tallias vulgo vocant, et omnia car-
« ropera et opera castellorum et omnes alias injustas exactiones. — Opus castelli semel in
« anno fiet una ebdomade Martii: et si opus non fuerit, pro redemptione operis recipiet sex
« denarios de manso vestito. — Quod si in castro suo Encrensi aliquid reformari necesse
« fuerit, homines Cœnobii Corbeiensis ad illud opus ire compellit advocatus Corbeiensis. » —
D. Bouq., t. X, p. 598.

2 Mon. Sangallensis, ap. D. Bouq., t. V, p. 119.

3 Cap. ann. 781, 805. — Videre est etiam capit. Lud. pii imper. ann. 816, 822, etc.; *de*
Pontibus publicis, D. Bouq., t. VI, p. 427, 434, etc.

4 Cap. ann. 829, 805.

5 Bal., t. II, col. 187.

6 Hludowici I, Capit. ann. 820.

7 Cap. ann. 835.

Quum passim crescunt in dies *pedagia*, Comitum vel immunum aviditate, nova etiam telonea, sine lege, sine necessitate constituuntur, et ubique iter facientibus, seu per vim, seu per negligentiam obstant impedimenta. Immunitatum domini mox sibi vindicant quidquid intra fines immunitatis, ad vias, aut pontes pertinet, et praesertim ab hominibus suis exigunt has operas, quas antea rei publicae praestabant, et nonnunquam redhibitionem quamdam, quae semper solvetur, licet itinerum aut pontium cura omnino negligatur: attamen aliquando reperire est iudicem quemdam, *viarium* seu *viatorem* nomine, qui rei viariae praesse solebat.

Ut antea pagenses homines, quum Comitum ditioni subderentur, ad palatia exstruenda aut reficienda operam dabant¹, sic iidem quum in immunitatibus degerent, quaedam similia immunitatum dominis praestare cogebantur: homines sancti Remigii manuales operas seu manoperas faciunt ad usum monasterii².

III. — Jus banni: concessio banni; origo iurium, quae vulgo BANALITÉS vocantur.

Jam supra de banno diximus: hoc verbum plures sensus significat, jurisdictionem vel imperium regendi agendique, jussum vel praescriptum, interdictionem et mulctam qua puniuntur illi qui jussa negligunt: sed praesertim bannum pro jure prohibendi dicitur: « In terra suae ditionis bannum, id est « interdictum, misit, quod est prohibitio, ut nullus.... etc³. »

Hoc imperium immunitatis privilegio nonnunquam reges concedere videntur: jam quaedam attulimus hujus rei exempla: « Comitatum Cameracensem « in proprium donavimus, praecipientes, ut episcopus habeat liberam potestatem eundem comitatum in usum ecclesiae tenendi, bannos habendi, etc. »

« Abbas coenobii Broniensis omnia jura judiciariasque potestates in villa « Bronii et in S. Laurentio.... libere et potestative exerceat, in his locis « et in omnibus quae possidet, concedimus et confirmamus ei bannum et « justitiam, etc⁴. »

¹ Jam reges ab istis operibus publicis eximere solebant, pretio quodam accepto: haec enim legimus; « dabunt sex libras argenti ad regiam cameram, ea conditione ut ab omnibus donis « vel obsequiis, seu a cunctis operibus publicis ac palatinis idem locus sit absolutus. » — D. Bouq., t. VI.

² S. Remigii Polypt.

³ Cang. v° *Bannum*. — Bannum, quod jus lingua latina proscriptio confiscandi vocatur. — D. Bouq., t. VII, p. 350.

⁴ Apud Miræi dipl., t. I, p. 58.

Sæpe hæc aut his similia verba legimus : « Concedimus villas, terras et
« nemora cum justitiâ, banno, legibus et theloneo et invento, etc¹. »

Aliquando etiam rex bannum aliquod instituit, et illud extemplo concedit :
« Bannum nostrum super omnes hos illuc venientes facimus, eundemque
« bannum nostrum prædicto archiepiscopo ob suum fidele servitium con-
« cedimus². »

Hoc autem jus banni, primum a regibus datum, verum postea fit patri-
monium, quod, sicut alia justitiæ jura, vel alia bona, transmissum,
venditum, etc., reperimus : Sic Odo comes sancto Petro Carnotensi con-
cedit « *bannum Bermerii villæ, quem semper ibi me habuisse officiales mei*
« *testantur*³. ».

Hoc jure potiti, judices vel justitiiarii has exactiones novas, pravæ consue-
tudines, illicitas occasiones instituunt, quibus homines opprimuntur. Multa
de his, quæ vulgo *Banalités* dicuntur, disserere possem : sed quum huic
dissertationi finem imponere necesse sit, pauca tantum de hac re attingam.

Quum Gallia a barbaris gentibus occupata fuisset, latas regiones sibi reges
retinuerunt, quas feris repleri curabant, banno edicto, ne quis eas vena-
retur intra fines determinatos, qui *forestæ*, *forestellæ* seu *garennæ* vocantur :
« Si quisquam hoc idem nemus nostro banno munitum studio venandi
« introivit⁴. »

Ceterum *forestæ* seu *garennæ* terras quaslibet cultas aut incultas, cum
domibus, mansis, Mancipiis, etc., amplectebatur, ut insignibus videre est
Caroli Magni præceptis : quæ ad piscationem sicut ad venationem pertinent,
et aquas, fluvios, rivorum decursus comprehendunt, sicut agros, vineas,
silvas, prata, pascua, etc.

« De forestis, ut forestarii bene illas defendant, simul et custodiant bestias
« et pisces. » — « In forestis mansum regale et vivaria cum piscibus et
« homines ibi manent : » hæc etiam reperimus verba : « *cum piscatione*
« *quacumque avis capiendi*⁵. »

Forestes dominicas seu regias primum reperimus⁶ : sed potentiores duces
hoc crudeli victorum jure nonnunquam ipsi utebantur⁷; et reges forestes
suas immunitatis privilegio largiebantur, seu facultatem concedebant fores-
tem novam instituendi. « Pippinus monasterio S. Dionysii Forestem OEqua-
« linam concedit, sicut usque nunc a rege fuit possessa, cum mansis, terris,
« domibus, ædificiis, accolabus, Mancipiis, servis, vineis, campis, pratis,

1 *Cart. de Marchiennes.*

2 *Cang.*, v° *Bannus*.

3 *Cart. S. Petri.*, p. 123.

4 *Charta Car. Magni*, ap. *Cangium*, v° *Forestis*, *Foresta*, *Foreste*, *Garennæ* seu *Warennæ*

5 *D. Bouq.*, t. V, p. 687, 726, etc.

6 *Videre licet Capit. de villis*, apud *D. Bouq.*, t. 3, p. 632, x, xi, xxxvi, lxxv, lxxvi.

7 *Cap. ann. 813*, ap. *D. Bouq.*, t. V, p. 687, xviii, xix.

« pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, etc. » Carolus Magnus, quum hanc donationem confirmat, duas affert hujus privilegii causas, quas in aliis præceptis nonnunquam reperimus : « Ut monachi « feraminum, cervorum, capreolorum ex coriis libros ipsius sacri loci coope-
« riendos curent, atque ut ex supradicta venatione infirmorum fratrum
« corpora ad tempus reparentur et roborentur¹. » Quamvis capitula plura prohibeant « ne quis, sine præcepto regali, forestas noviter instituat², » quamvis ruricolæ, spoliati bonis aut expulsi possessionibus suis, acerbissime querantur, potentes homines hoc jus forestæ per bannum constituendæ sibi semper arrogant, ut probatur innumeris exemplis, quæ ubique occurrunt. « Johannes de Moy miles vult habere garennam per vim suam, per poten-
« tiam suam. »

« Radulphus et Manasserus de Stratis milites per violentiam fecerunt
« unam garennam novam. »

« Conquerebantur homines de Balegniaco quod Petrus de Balegniaco
« armiger, efforciabat eos, propter garennam suam, quæ erat de novo
« levata, etc.³ »

Itaque oppressi indesinenter queruntur populi, et quum frustra questi sunt, sæpissime contra dominos oppressores rebellantur⁴. Quum de forestis plura disserere liceret, hic tantum animadvertam, jus venandi seu piscandi non idem fuisse ac jus forestæ seu garennæ constituendæ; etenim in foresta continentur terræ quælibet, quarum possessores ferarum et venatorum vexationes pati coguntur, dum jure venandi rex tantum « licentiam concedit
« possessori in silvas suas venationis exercendæ : » sic Carolus Magnus monachis quibusdam permittit, « ut in eorum proprias silvas licentiam
« habeant eorum homines venationem exercere, unde fratres consolationem
« habere possint tam ad volumina librorum tegenda, quam et manicias et
« ad zonas faciendas. » — « Fridegisus abbas, Ludovicum adiens, petiit ab
« eo licentiam in monasterii sui silvas venationem exercere, sub occasione
« librorum tegendorum vel manicarum ad usus fratrum faciendarum, sed
« quod credibilis est, ad suæ vanitatis ludibrium exercendum⁵. »

¹ D. Bouq., t. V, p. 707-726.

² « De forestis noviter institutis, quicumque illas habet, dimittat, nisi forsan judicio veraci
« ostendere possit, quod per jussionem, sive permissionem domini Caroli genitoris nostri eas
« instituisset. » — « De forestibus nostris ubicumque fuerunt, diligentissime inquirent, quo-
« modo salvæ sint et defensæ, et comitibus denuntient, ne ullam forestem noviter instituant,
« et ubi noviter institutas invenerint, dimittere præcipiunt. » — « De foresta quam Autharius
« comes habere vult, ubi ea prius non fuisse dicitur, volumus ut Missi nostri rei veritatem
« inquirent et juxta quod justum invenerint, ex nostra auctoritate definiant, etc. » — Bal.,
t. I, col. 556, 559, 418, 510, 617, 798.

³ *Olîm*, t. I, 105, 85, 90, etc.

⁴ Vide Willelm. Gemetic. — Wace, roman de Rou, etc.

⁵ D. Bouq., t. V, p. 752, etc. — S. Bertini cartul., p. 63, 75, etc.

Omnes autem justitiaras exactiones oblivisci, ut ita dicam, mihi videntur plerique scriptores, quum omnia gravissima onera, quæ subditis hominibus incumbabant, ex legitima causa oriri affirmant: et omnes redhibitiones, quibus defessi gemebant, a possessoribus, fœdere pacto, impositas fuisse colonis, ut pretium terræ quam colendam susceperant¹.

Nihil hac opinione falsius esse potest, quum contra pleraque jura per vim exercerentur: sic banno edicto, homines intra fines cujusdam potestatis manentes ad farinarium vel molendinum justitiarum senioris frumentum molendum vehere coguntur: eodem banno prohibetur, ne quis molendinum aliud construat, aut frumentum extra fines potestatis vehat. Sic eodem banni jure, panem ad furnum senioris coquendum deferre debent, quum etiam ille, qui hunc furnum possidet, nec terram nec domum habeat, ubi furnus construitur. Sic banno suo senior prohibet, ne subditi vinum vendant, antequam ipse vendiderit, aut ne vendemiam curent, antequam ipse vendemiæ suæ finem fecerit, etc.

Quæ, licet re ipsa sint graves injuriæ, tamen e jure quodam constituto derivari videntur: nunc autem ad illicitas occasiones veniamus, quæ per vim solummodo impositæ, ex consuetudine tamen inter justitiaras redhibitiones numerabuntur.

1 Vide Lehuërou, t. II, p. 252, etc.; Guérard, etc.

CAPUT OCTAVUM.

I. — Illicitæ occasiones: consuetudines.

In chartis immunitatum hæc sæpissime occurrunt: « ut nullus iudex publicus illicitas occasiones requirat, perquirat: » quæ negligere haud licet. Hic injustas redhibitiones, quæcumque sint, designari certum est: diu violentiæ, injuriæ prævidentur, et prævisæ reprimuntur a regibus: sed quo frequentiora sunt capitula quibus hæc prohibentur, eo frequentiora fuisse constat ea, quæ frustra legislator coercere conabatur. Itaque non est mirandum, si has illicitas redhibitiones paulatim videamus, quasi legitimos fieri census, justa tributa, quæ plerumque uno verbo *consuetudines* dicuntur.

Jam apud Romanos consuetudo sæpe in re tributaria invocatur: « Telonea et tributa consuetudines appellantur, » ait Cassiodorus. Postea, « Charibertus promisit cum juramento ut leges consuetudinesque novas populo non infligeret¹. »

Novas vires acquirit consuetudo: « placuit inserere, inquit Carolus Magnus, « ut ubi lex erit, præcellat consuetudini, et ut nulla consuetudo superponatur legi; » sed ipse hæc adjicit: « ubi lex deest, præcellat consuetudo². »

Tum injustæ exactiones eo quod sæpissime renovatæ fuerint, jure quasi legitimo deinceps imponuntur: consuetudines ubique pro exactionibus, gravariis habentur, unde homines non ex lege sed ex consuetudine dispendium facere debent³. « Ut ab ecclesia mihi commissa indebitas consuetudines et « injustas exactiones de cetero non exactetis; sed sic eas conservetis sicut « tempore avi et patris vestri conservatæ fuerunt. — Ut rapinæ et deprædationes, quæ quasi jure legitimo hactenus factæ sunt, penitus interdican-
tur, et nemo se impune post hæc eas præsumere posse confidat. — Con-

¹ Greg. Tur., lib. xxx, ch. 9.

² Bal., t. I, col. 260, 342.

³ Consuetudo, præstatio quæ in consuetudine præstatur, cujus initium ignoratur, et a quo inducta — Gangius: *Consuetudo*.

« donavit pravas consuetudines, quæ paulatim inoleverant, per iniquos
« servientes....; sed ipse locus sit liberrimus ab omni exactione et consuetu-
« dine, etc.¹ »

Quum immunitatem concederent, reges, immunem ab his exactionibus libe-
rare nitebantur, quas publici iudices imponere solebant; etenim prohibebant
« ne quis consuetudinem novam imponere aut superaddere auderet. » Sed
quum immunitatis dominus locum publici iudicis teneret, exemplo malo
raptus et ipse, homines suos iisdem exactionibus, iisdem consuetudinibus
opprimere non dubitabat.

Jam, summa vigente romanorum imperatorum auctoritate, omnes, ut
ita dicam, magistratus corrupti fuerant, qui hoc tantum curabant ut
oppressione subditorum hominum divites fierent, qui fructus quoslibet
hujus peritissimæ spoliationis cum imperatore dividebant. Nulla patria,
nullus erat amor patriæ in hoc imperio armorum vi constituto, sine finibus
et sine civibus. Itaque scripta æqualium auctorum, et ipsæ leges tristissimis
coloribus miserrimam provinciarum conditionem nobis depingunt; cujus-
libet generis exactionibus opprimuntur homines a magistratibus : « Rusticabo
« necessitatem obsequii, quasi mancipio sui juris imponunt². » Si quis
Majoriani imperatoris novellas, aut eloquentissimas ecclesiasticorum scrip-
torum, Lactantii, Salviani, querelas legat, intelliget quibus malis laborarent
imperii romani provinciæ, quum a barbaris gentibus occupatæ fuerunt³.

Ubique videre est maximum in magistratus populorum odium; homines
perflugium etiam in servitute quærent : vastissimæ regiones in solitudines
rediguntur, aut ruricolæ, ad desperationem adducti, rebellant, et nonnun-
quam adversus oppressores suos Barbaros etiam vocant.

Sed imperio perturbato, easdem reperire est exactiones : violenta enim
et avida Germanorum vis provinciis occupatis confusius incumbit. Frustra
reges de populo suo, de re publica loquuntur; nullus populus, nulla est res
publica : indesinenter mutantur dominationes aut regnorum fines. Itaque
quædam fidei vestigia erga ducem quemdam, aut familiam aut ecclesiam
aliquando occurrunt, nulla autem erga patriam.

Nemo igitur officio quolibet publico fungitur, nisi ut facilius inde divitias
compararet, aut rapinas agat : reges ipsi partem quamdam potestatis et
auctoritatis sibi retinere videntur, eo tantum quod prædia aut tributa
concedere possint : fides, officia quælibet emuntur et venduntur; et deficien-
tibus beneficiis, deficit fides et obedientia. Reges primæ et secundæ stirpis

¹ Bal., t. II, col. 21, 42, 67, 145, etc. — D. Bouq., t. V, p. 727, 747, etc. — *Cart. S. Petri*, p. 250.

² Justiniani Cod.

³ Nov. imp. Major. — Lact., *de Mortib. persec.*, 25. — Salv., *de Gubern. Dei*, lib. v. — Lehuërou, t. I^{er}, p. 126, 154, 148, etc.

omni ope nituntur, ut prædia quam plurima possideant, et concessa recuperent, ut publica officia ex voluntate sua largiri possint; potentes autem ut prædia accipiant et accepta stabiliter conservent, ut publicis officiis, hereditario quasi jure, fruantur. Quidquid utilitati aut quæstui fore sperant, mira usurpant aviditate: ecclesiasticas etiam dignitates sui juris per fas ac nefas faciunt, ut ex eis fructus colligant. Carolus Magnus ipse, licet viribus et ingenio pollens, non hanc omnium contumaciam reprimere poterit. Ecclesiastici etiam viri, quamvis nonnunquam generosius restiterint, consuetudini obsequi et in hoc vitium aviditatis delabi videntur: plerique laudibus tantum efferunt principes, qui beneficia largiuntur; et quum prædiis concessis divites aut immunitatibus potentes facti sunt, regum partes deserunt, et cum potentibus conspirant, ut regiæ potestatis spolia inter se dividant.

Itaque in Capitularium libris passim occurrunt *injustæ occasiones, indebitæ, noviter institutæ consuetudines, nova et injusta telonea*, etc. Frustra reges et præsertim Carolus Magnus laborant, ut res publica constituatur, frustra has omnes violentias prohibere, vel reprimere conantur, quarum auctores apparent potentes quilibet, Comites aut Comitum ministri, Abbates, Episcopi, et ipsi Missi dominici. Mox reges etiam, seu per negligentiam, seu per impotentiam, publicæ pacis tuendæ officium deserere videntur; hæc scribit Hincmarus ad Carolum Calvum: « Per plurimorum ora vulgatur vos « dicere, quoniam de istis rapinis atque deprædationibus nihil vos debeatis « misculare, unusquisque sua defendat, ut potest¹. »

**II. — Exactiones potentium, judicium, quæ consuetudines et postea
justitiæ jura fient.**

Hic operæ pretium est quædam referre exempla earum exactionum, quas a tempore Romanorum exigere solent, vel invitis regibus, potentes, quicumque sint. Jam exilio perpetuo leges romanæ puniunt eos, qui « sub quo-
« cumque prætextu publici muneris rusticano cuipiam necessitatem obsequii
« imponunt, et servum ejus vel forte bovem in usus proprios convertunt. » Eadem sub Carolo Magno reperimus: « Placuit nobis ut illos liberos homi-
« nes comites nostri ad eorum opus servile non oppriment; et quicumque

¹ D. Bouq., t. VII, p. 524.

« hoc fecerit, secundum quod judicatum habemus, emendet¹. » — « Ut
 « liberi homines nullum obsequium comitibus faciant, nec vicariis, neque
 « in prato, neque in messe, neque in aratura aut vinea, et conjectum ullum
 « vel residuum non solvant, excepto servitio quod ad regem pertinet, et ad
 « heribannatores, vel his qui legationem ducunt². » — « Andivimus etiam
 « quod juniores comitum, vel aliqui ministri reipublicæ, sive etiam non-
 « nulli fortiores vassi comitum, aliquas redhibitiones, vel collectiones,
 « quidam per pastum, quidam sine pasto, quasi deprecando a populo
 « solent exigere; similiter quod operas, collationes frugum, arare, semi-
 « nare, runcare, carucare, vel cætera his similia, a populo, per easdem,
 « vel alias machinationes exigere consuevere³. » — « Aliqui duces et
 « eorum juniores, castaldii, vicarii, centenarii, seu reliqui ministeriales,
 « falconarii, venatores et ceteri per singula territoria habitantes vel discur-
 « rentes, mansionaticos et paravereda accipiunt, non solum super liberos
 « homines, sed etiam in Ecclesias dei..... atque diversas plebes..... in
 « eorum opera, id est, in vineis et campis, seu pratis, necnon et in eorum
 « ædificiis illos faciunt operari, et carnaticum et vinum contra omnem
 « justitiam ab eis exactare non cessant, etc.⁴ »

Nonne hic multarum operarum, quæ vulgo *corvatæ* dicuntur, originem agnoscere fas est? Jam hæc indebitæ occasiones pro consuetudinibus habentur: *exigere consueverunt, solent...*; quas postea reperire est a justitiariis senioribus perceptas, ut legitimos census: et ab illis tamen sunt discernendæ, quamvis sæpiissime iisdem nominibus confundantur⁵.

Quum princeps tractoriam concedit, aut immuni cuidam facultatem largitur potestatis suæ fines, subditorum hominum sumptibus, percurrendi, non ideo permissum est, ut hic majores exigat redhibitiones, ut equos vel currus sibi retineat, ut diutius commoretur in locis per quæ solum transiturus est, ut terras etiam aut domus accipiat, etc⁶. Quæ tamen omnia fieri solent, quum talia frustra prohibeantur. Non profecto permittit ut, sine concessa tractoria, cursum publicum exigere quis audeat, ut supra vidimus: « aliqui
 « duces et eorum juniores.... mansionaticos et paravereda accipiunt, etc. »

¹ Bal., t. I, col. 260.

² Bal., t. I, col. 400.

³ Bal., t. I, col. 336.

⁴ Epist. Karoli Magni ad Pippinum filium: ap. D. Bouq., t. V, p. 629. — Bal., t. I, col. 461.

⁵ Omnes, ut ita dicam, consuetudines evolvere necesse esset: hæc tantum transcribam, exempli gratia: « *homme sujet en justice* (homo de potestate) tenant feu (manens), doit, pour
 « *raison de la haute justice*, s'il a bœufs et charrettes, trois charrois l'an; et, s'il n'a bœufs ou
 « *bétail trayant à charrette*, il lui doit trois corvées l'an, où il plaît au seigneur de l'employer,
 « *en sa justice ou hors; etc., etc.* » — Coutume du Bourbonnais.

⁶ Bal., passim.

Et tamen, quicumque judiciaria potestate fungitur, per vim, sibi hæc jura attribuire solet, ut innumeris admodum constat exemplis: « Brennaticum, « quod injuste accipiebam in Calderiaco, ex toto dimitto. — Consuetudines « dimitto quas pater habebat, videlicet collocationem et pastum caninum. « — Hugo addidit sibi esse datam hanc consuetudinem, ut, dum veniret ad « monasterium, habens secum sex aut quatuor milites, dandum ei consuete « panem, vinum, carnem sufficienter, equis quoque suis itidem advenam « et vinum; » quum autem monachi has indebitas exactiones persolvere recusarent, « asinos nostros tulit, pro quorum redemptione xxx dedimus « solidos. Rursum eos tulit. » Tandem hanc pravam consuetudinem pro quibusdam certis utilitatibus relinquit.

« Prandium quod in S. Georgii festivitate inverecunda fronte requirebamus, omnino dimittimus, quia male solennitatem celebrat, qui se illicitis « non custodit, etc.¹. »

Imo etiam nec proprietati nec libertati parcit potentiorum aviditas: « De « oppressione liberorum hominum pauperum, ut non fiant a potentioribus « per aliquod malum ingenium contra justitiam oppressi, ita ut coacti res « eorum vendant aut tradant..... Ne forte parentes contra justitiam fiant « exhereditati, etc.²..... »

Quinam autem sunt illi potentiores homines? « Placuit nobis ut nec Epi- « scopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Judices, nullusque « omnino sub mali occasione vel malo ingenio res pauperiorum vel minus « potentum nec emere, nec tollere vi audeat³. — Quod pauperes se reclamant « expoliatos esse de eorum proprietate; et hoc æqualiter clamant super « Episcopos et Abbates et eorum advocatos et super Comites et eorum Cen- « tenarios⁴. »

Comites, præceptis imperatorum contemptis, Hispanos homines, terris quas coluerunt, spoliant: « Quæ ut ab eis exculta sunt, ex quibuslibet « occasionibus inde eos expellere, et ad opus proprium retinere, aut aliis « propter præmium dare voluerunt. » Jam antea Hispani querebantur quod multas oppressiones de parte Comitum et juniorum sustinerent: « Dicunt « quod aliquas villas, quas ipsi laboraverunt, laboratas illis abstractas « habeatis, et beboranias (præstationis species) illis superponatis et saiones « (appariteurs, huissiers) qui per forcia super eos exactant⁵. »

« Warinus et Ruadhardus comites, qui totius fere Alamanniæ curam administabant, diabolo suadente, immanissimo avaritiæ morbo præventi, res

¹ *Cart. S. Petri*, p. 173, 181, 231, 248, etc.

² *Bal.*, t. I, 427.

³ *Cap. Longob.*, ap. Lehuëron, t. II, p. 511.

⁴ *Bal.*, t. I, 485.

⁵ *D. Rouq.*, t. V, p. 777.

« Ecclesiarum sub sua potestate sitarum magna ex parte in proprietatis suæ
« dominium per vim contraxerunt. Tributa, quæ bonæ memoriæ Pippi-
« nus concesserat, abstulerunt, aliaque quam plurima. suæ rapacitatis
« abstraxere protervia. Insuper ipsum etiam Abbatem, cum pro hac re
« apud principem illos accusasset, vinculis injecerunt¹. »

« In initio tyrannidis Fridegisi abbatis². » — « Balduinus, comes
« Flandriæ, quum monasterium Sithiu invadere per fas ac nefas aggressus
« esset, Remensem archiepiscopum, qui tunc illius abbas erat, per militem
« suum Winemarum, lancearum punctione occidere jussit, et postea abba-
« tiam obtinuit regia donatione³. »

« Vicecomes Teduinus vi et potestate Gibuinum sibi jure servitutis usur-
« pavit: hoc accidit ut summum jus summa sit injustitia. Timore crucia-
« tum æternorum ductus, ego Walterius vicecomes, filius Teduini, Gibui-
« num, fratrem, uxores eorum, omnemque prolem a jugo servitutis ab-
« solvo⁴. »

**III. — Hominum conditio, quum, regum imperio deficiente, potentes,
quicumque sint, potestatem sicut terram inter se diviserunt.**

Si tales exactiones ubique reperire est, vel ipso Carolo Magno regnante,
quid fiet, quum decesserit, facile intelligemus. « Eodem tempore (anno 814)
« Ludovicus misit legatos suos supra omnia regna inquirere; qui
« egressi invenerunt innumeram multitudinem oppressorum, aut ablatione
« patrimonii, aut exspoliatione libertatis; quod iniqui ministri, comites et
« loco positi per malum ingenium exercebant. Omnia destruere jussit acta
« quæ impie in diebus patris sui per iniquorum ministrorum ingenia facta
« fuerant. Patrimonia oppressis reddidit, injuste ad servitium inclinatos ab-
« solvit⁵. »

Legamus tantum hujus principis capitula, Missis suis data : « Primo ut
« justitiam faciant de rebus et libertatibus injuste ablatiis; et si episcopus,
« aut abbas, aut vicarius, aut advocatus, aut quislibet de plebe hæc fecisse

¹ Ex vita S. Othmari, ap. D. Bouq., t. V, p. 450.

² Cart. S. Bertini, p. 74.

³ Ib., p. 154.

⁴ Cart. S. Petri, p. 189.

⁵ D. Bouq., t. VI, p. 77. — Theg. vita Hludowici pli, 15. — Ann. Lobiens., etc.

« inventus fuerit, statim restituentur. Si vero vel comes vel dominicus vel
« alter missus palatii nostri hæc perpetravit, res diligenter investigata et
« descripta ad nostrum iudicium reservetur, etc.¹. »

Cur autem plura adjiciam, quum tot insignes formulas transcribere
liceret, quibus miserrima declaratur horum temporum conditio : « Præcep-
« tum de libertatibus restitutis : — de iis quibus proprium aut libertas injuste
« per potentes ablata est : — super his qui injuste et contra legem ad
« servitium positi sunt; etc., etc.² »

Judices igitur potestate sua abutuntur, ut quocumque modo homines
suos opprimant : sic « illum in hostem semper ire faciunt, usque dum
« pauper factus, nolens volens suum proprium tradat aut vendat, dum alii
« qui traditum habent, absque illius inquietudine, domi resident³. » Aut
heribannum, hostilitium sine jure, sine necessitate percipiunt : « Ut
« haribannum aut aliquod collectum pro exercitali causa Comites de liberis
« hominibus recipere aut inquirere non præsumant; excepto si de Palatio
« nostro aut filii nostri Missus veniat, qui illum bannum requirat. » —
« Quidam dederunt pretium propter se redimendum, ut eis domi remanere
« licuisset, quum illi in hostem ire non debuissent⁴. »

Semper placita convocant, ut homines liberi sæpius bannum ab absentibus
debitum pendere cogantur : « De vicariis et centenariis, qui magis propter
« cupiditatem quam propter justitiam faciendam sæpissime placita tenent
« et exinde populum nimis affligunt. » — « Comites non semper pauperes
« per placita opprimant. » — « Quosdam ministros comitum propter
« frequentia placita pauperiorem populum nimis affligere comperimus. »
— « Comites et vicarii vel etiam decani plurima placita constituunt; et si
« ibi non venerint, compositionem exsolvere faciunt⁵. »

Pecuniam exigunt ut jus dicant, ut injustas non reddant sententias.
« Ut nullus quislibet Missus noster, neque Comes, neque Judex aut
« Scabinus, cuilibet justitiam dilatare præsumat; neque præmia pro hac
« a quolibet homine per malum ingenium accipere præsumant. » — « Ut
« comites et vicarii propter justitiam pervertendam munera non accipiant⁶. »

Vicarii munera pro latronibus accipiunt, qui ante Comitem judicati sunt
ad mortem : « De latronibus qui in custodiam missi sunt, ut nullus iudex
« publicus pretium prenda; et si hoc fecerit, honorem suum perdat. »

¹ D. Bouq., t. VI, p. 425.

² D. Bouq., t. VI, p. 635, etc. — Bal., t. I, col. 614; t. II, col. 1106, etc.

³ Bal., t. I, col. 485.

⁴ D. Bouq., t. V, p. 684, 692.

⁵ Bal., t. I, col. 468, 471, 615; t. II, col. 521, 555. — D. Bouq., t. VI, p. 444. —
Hincmari epist. IV.

⁶ Bal., t. I, col. 468, 764, 255, 570, 466, etc. — D. Bouq., t. VI, p. 427.

« Ut vicarii vel centenarii, qui fures et latrones vel celaverint vel « defenderint, secundum sibi datam sententiam judicentur¹. »

Latrones enim nonnunquam apud potentes auxilium et per fugium obtinent : « Audivimus quod quidam, domos et possessiones habentes, concilient « sibi atque consociant latrones aliunde venientes, eosque occulte foveant, « et solatentur ad tale facinus perpetrandum, ut quidquid ipsi et perni- « cioso opere adquisierint, cum eis partiantur². »

Comites ipsi latronibus favent, ut pluribus capitularibus constat :

« Sciat unusquisque fidelium nostrorum quia quisque Comes et quilibet « publicus minister malefactoribus assensum præberit, nostræ indigna- « tionis motum sentiet. »

« Ut nullus habeat latronem in sua potestate, nec celet. — Si comes « absconderit latronem, et ad justitiam faciendam præsentare noluerit, « honorem suum perdat³. » — « Volumus atque jubemus ut nullus de his, « qui nobis in nostro palatio deserviunt, aliquem hominem propter furtum « vel aliquem homicidium vel adulterium, vel aliud aliquod crimen ab ipso « perpetratum, et propter hoc ad Palatium nostrum venientem, atque « ibi latitare volentem, recipere præsumat, etc.⁴ »

Omnia, ut ita dicam, capitularia transcribere necesse esset, quum reges in eo præsertim laborare vidantur, ut violentiam, exactiones injustas, rapinas cujuslibet potentis reprimant. Quædam tantum excerpta afferam exempla, quibus planius demonstrabitur quæ fuerit horum temporum miserrima perturbatio.

Undique, licet prohiberent reges, Comites eorumque ministri, potentes, judices privati, quisque intra fines potestatis suæ, nova telonea cujuslibet generis, sine lege, sine jure, constituunt, ita ut difficile sit intelligere quomodo jam homines aliquod iter suscipere aut commercium exercere possent :

« Teloneus aut census non exigatur a quolibet, ubi nec aquam navigio, « aut pontem transeundum non est. » — « Ut nullus homo præsumat « teloneum in ullo loco accipere, nisi ubi antiquitus pontes constructi « sunt, et ubi navigia præcurrunt. Similiter nec rotaticum, neque pul- « veraticum ullus accipere præsumat⁵. » — « Ut nullus cogatur ad pontem « ire ad fluvium transeundum propter telonei causas, quando in alio loco « ille compendiosius illud flumen transire potest. Similiter in plano campo, « ubi nec pons, nec trajectus est, ibi omnimodis præcipimus ut teloneum « non exigatur⁶. »

1 D. Bouq., l. V, p. 648, 687, etc.; t. VI, p. 427, etc.

2 Bal., t. II, 545, etc.

3 D. Bouq., t. V, p. 668, 648.

4 D. Bouq., t. V, p. 657, 659.

5 Bal. t. I, col. 395, 402, 471, etc.

6 Bal., t. I, col. 785, 402, 466, 471, 764, 604, 1250.

« De injustis occasionibus et consuetudinibus noviter institutis, sicut
« sunt tributa et telonei in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons,
« nec aliquid tale fuerit unde juste census exigí possit, vel ubi naves
« subtus pontes transire solent, sive in medio flumine, ubi nullum obsta-
« culum est, ut auferantur; antiquæ autem ad nostram notitiam deferantur. »

— « Nova sive injusta telonea, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus
« sub pontibus transitur, seu his similia, in quibus nullum adjutorium
« itinerantibus præstatur, ut non exigantur¹. »

« Consuetudinem, quam calumniabar me habere in ferra S. Petri Gisla-
« census, dimitto, etc.². »

Hoc autem in primis mirum esse mihi videtur, quod iudices ipsi villarum
regiarum, quos attentius eligi jubebat Carolus Magnus, easdem exercent
exactiones: ex eorum exemplo intelligere licet quid ceteri potentes perpetrare
auderent :

« Ut non præsumant iudices nostram familiam in eorum servitium ponere :
« nec corvadas, nec materiam cædere, nec aliud opus sibi facere cogant.
« Neque ulla dona ab eis accipiant, non caballum, non bovem, non vaccam.
« Nullus iudex publicus mansionaticos ad suum opus, nec ad suos canes,
« super homines nostros nullatenus prendat, etc. »

Episcopi, quum scribunt ad Ludovicum Germanicum, de iisdem injuriis
queruntur: « Iudices villarum vestrarum constituite, qui non sint cupi-
« di, etc.³ »

Itaque deprædationes undique et rapinæ perlegenti horum temporum anna-
les occurrunt; quicumque viribus valent aut partem quamdam dominationis
obtinerunt, sive Comites, sive beneficia, honores aut immunitates sortiti,
eadem aviditate, eadem violentia laborare videntur:

« Potentes et honorati viri, locis quibus conversantur, minorem populum
« depopulantur et opprimunt, eorum prata depascunt, mansionem etiam
« contra voluntatem privatorum hominum sive pauperum, etc.⁴ »

Tandem paucis verbis exponendum est qua ratione plures illicitæ occa-
siones paulatim pro legitimis consuetudinibus habitæ fuerint. Apud Roma-
nos, ut imperatores a civibus dona vel gravissima exigere consueverant, sic
provinciarum præsides, officio humanitatis et liberalitatis, similia munera a
subditis requirebant. « Insuper, ait Salvianus, etiam ridiculos ipsi nos faci-
« mus; aurum quod pendimus, munera vocamus; dicimus donum esse,
« quod pretium est, et quidem pretium conditionis durissimæ ac miser-
« riimæ. »

¹ Bal., t. I, col. 402, 615, 426, 452, 756, 874, 969, etc., 659, 198, 454, 621.

² Cart. S. Petri, p. 175.

³ Bal., t. II, col. 116.

⁴ Bal., t. II, col. 548.

Primæ ac secundæ stirpis reges hanc fructuosam donorum consuetudinem retinuerunt, ut passim videre est: « Dona tua, scribit Fulrado abbati Carolo Magnus, quæ ad placitum nostrum præsentare debes, nobis mense Maio trans mitte ad locum ubicunque fuerimus. Vide ut nullam negligentiam exinde habeas, si quidem gratiam nostram velis habere¹. . . . » — « Omnes fideles nostri Capitanei cum eorum hominibus et carra sive dona ad conductum placitum veniant². » Sub Ludovico pio describuntur nomina monasteriorum, quæ *dona debent* regi.

Sed Romanæ leges vetabant ne quis iudicum has præstationes exigeret: « Ne donum vel munus ipse proconsul, aut qui in alio officio erit, accipiat, ematve quid, etc. » — « Ne quis præsidum munus aut donum capiat. »

In Capitularibus, eadem prohibentur: « Neque ulla dona ab eis accipiant, non caballum, non bovem. » « Audivimus quod juniores Comitum aliquas redhibitiones, vel collectiones, . . . quasi deprecando a populo solent exigere. » « Ne adjutoria quasi petendo, potius autem exigendo, etc. »

« Quod si illi propter lenitatem et mansuetudinem comitis, sui eidem comiti honoris et obsequii gratia quippiam de rebus suis exhibuerint, non hæc eis pro tributo vel censu aliquo computentur, aut Comes vel successores ejus hæc in consuetudinem præsumant⁴. »

Sed, quum consuetudo magis ac magis legis vim haberet, vix illi cui semel atque iterum incubuerat eadem exactio! repetita enim violentia pro jure habebatur. Quæ, ait d'Argentré (de talliis consuetudinariis) pridem officio humanitatis et beneficentiæ fuere, ea cum tempore, usurpatione et potentiorum opibus, in necessitatem transierunt⁵.

Hinc incredibiles illæ consuetudines, quibus rapinæ et deprædationes permitterentur, quum senior sibi jus arrogaret, modo equos, aut boves aut fruges capiendi, modo vestes et pecunias non solum hominum pauperiorum, sed etiam divitum potestati suæ subditorum. Sic paulo post obitum Caroli Magni, nonnulli res episcopi decessi diripere solebant, ut constat ex quodam capitulo: « Quoties divinum iudicium aliquem ecclesiæ præsulem e sæculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates ejus diripiat, invadat, et ad jus suum transferat⁶. »

Hæc tamen prævalet immanis consuetudo, quum postea Philippus rex ipse hoc iniquo jure desistat in Carnotensi episcopatu: « Nostræ majestatis auctoritate res prætextatas a prava consuetudine liberamus, domum scilicet

¹ D. Bouq., t. V, p. 655.

² D. Bouq. t. V, p. 678. — Et passim ap. Baluzium.

³ Lex Langob., lib. III, tit. 12. — Bal., t. II, col. 624; t. I, col. 551.

⁴ Bal. t. I, col. 551; t. II, col. 28.

⁵ Cout. de Bret., art. 87.

⁶ Bal., t. II, col. 242.

« episcopi decessi et domus ejusdem ferrum, plumbum, vitrum, lignum,
 « lapides, cæterumque supellectilem, scilicet tabulas, scamna, scabella,
 « vasa vinaria, lectos, necnon coquinas et horrea granaria, cellaria, torcu-
 « laria, furnos, furnorumque domos, sive in urbe, sive extra urbem, sylvas
 « ut non vendantur, nec succidantur, nec dentur; annonam quoque, vinum,
 « fenum, oves et boves, et cætera animalia, omniaque reliqua mobilia, quæ
 « congregata, vel collecta fuerint, sive in urbe, sive extra urbem, ante obi-
 « tum vel discessum episcopi cujuslibet, intacta manere firmamus.....
 « Concedimus etiam ut exactio quæ defunctis episcopis fieri solet in servien-
 « tes episcopi, vel rusticos, de cætero nunquam fiet¹. »

Hæ prævæ consuetudines, quæcumque sint earum nomina, non aliam origi-
 nem habere mihi videntur: et *donum, munus, exenium, eulogiæ, collectiones,*
collectas collationes, solatia, auxilium, adempta, oblia, oblationes, subsi-
dium et his similia aut talia, inter illicitas occasiones ponenda esse reor:
 et nisi timerem hanc nimium extendere dissertationem, malas redhibitiones,
 indebitas exactiones, postea sub nomine *talliarum* vulgo designatas fuisse,
 ostendere possem².

Quæ autem exactiones in legibus et in privatis diplomatibus sæpius
 illicitæ dicuntur, quam ut plerisque consuetudinibus, quæ fient jura
 seniorum, justam causam assignemus: non e concessione terrarum, non e
 fœderibus inter dominos et servos, ad meliorem vitæ conditionem promotos,
 originem ducere videntur. Etenim hæc verba, *prævæ, malæ consuetudines,*
extorsiones, vexationum genera, injustæ leges, undique reperiuntur.

Alii eas, ut jus victoriæ, prædicare non timent; alios vero earum poenitet;
 nonnulli injusta potestate, nullo cogente, desistunt: in testamentis præ-
 sertim suis justitarii seniores, pro salute animæ suæ, aut æternos cruciatus
 timentes, exactiones male habitas confitentur, et heredibus novissima dictant
 jussa, quæ non semper exsequantur: « Pro salute animæ meæ et pro
 « remedio animæ patris mei, qui, absente justitia, hanc pravam consuetu-
 « dinem intulit;..... pro hac consuetudine mala quam ipse post eum
 « usque nunc usurpavi, graviter me peccasse confiteor³. »

« Consuetudinem quam hactenus injuste in terra mea tenui, dimisi,
 « quatenus mihi absolutionem darent... consuetudinem contra jus et legem

¹ Brussel, p. 315, etc.

² Nonnulli tamen tallias a Romanorum capitatione originem duxisse arbitrantur. V. Guizot, *Cours d'Hist. mod.*, 1829, 1850; 8^e leçon. — Talliæ autem mihi videntur tributorum quodlibet genus duntius designavisse. — « Si aliquis de nostris fidelibus, rapinas vel deprædationes, aut talia illicita fecerit, de quibus populus pro oppressione gemere solet. » (Bal., t. II, col. 67.) « Quasdam injustas consuetudines, talliam videlicet et omnes alias oppressiones. » (anno 1060). — « Exactiones quas tallias vocant. » (Anno 1094), etc., apud Brussel, t. I, p. 412.

³ *Cart. S. Petri*, p. 179.

« divinam... Ambitionem nefariam, quæ nos hactenus decepit, a nobis
 « abigimus, et pro Dei amore et nostra salute, pravas consuetudines et
 « intolerabiles, quas injuste accipiebamus, dimittimus: » — « Omnes
 « execrables consuetudines quas usurpabamus, remittimus¹. » — « Fulco
 « de vadis usurpabat unam tortam consuetudinem in Ermenteriis, villa
 « scilicet S. P. Carnotensis². » — « Quito liberis meis civibus Antissiodo-
 « rensibus manum mortuam quam in prejudicium eorum confiteor me
 « arrestasse³. » — « Nec aliquid amplius ab eis per vim extorquebo⁴. » —
 « Consuetudines quasdam indecentes, quas contra honorem militare
 « injuste usurpaveram, iniquas esse decernens⁵.... » — « Non capiam
 « in eo quicquam per violentiam *per tres annos*, et de tribus annis in antea
 « scienter rapinam non faciam, neque ego ipse, neque aliquis de meis de
 « meo consensu⁶.... » — « In nomine Domini nostri Jesu Christi, dominus
 « Delphinus considerans prædecessores suos in suis ultimis voluntatibus
 « ordinasse ut male ablata et acquisita restituerentur..... suos fideles
 « subditos.. focagiis, donis, adeptis, collectis et talliis extraordinariis et
 « muneribus liberavit, etc.⁷.... »

Aut reges, quum rursus publica quadam auctoritate potiri videntur, has
 exactiones abolere conantur: « Notum et manifestum fieri volo præsentī
 « nationi et succedentium posteritati, quod Nigordus apud Angicurtem pravas
 « et inusitatas super terram S. Vedasti consuetudines extulerat; sed præfatas
 « consuetudines, justitia nostra cogente, liberas esse permisit⁸. »

« Supradicta terra infestatione malorum hominum et malarum consue-
 « tudinum captione quæ a servientibus terræ illi superpositæ erant, pene in
 « solitudinem redacta fuerat: quas omnes malas consuetudines nos remo-
 « ventes, brenagium tantummodo retinentes, præcipimus ne deinceps illæ
 « malæ consuetudines capiantur, etc.⁹ »

Injustas consuetudines quas Drogo comes, advocacionis specie, in villis
 abbatiæ S. S. Vincentii et Germani a pratis extorquebat, abrogat rex
 Rodbertus: *quarum injuriarum molestiis supercrescentibus ultra quam*
tolerabile est ferre humanos animos, ait diploma. Idem iniquas Efredi de
 Edera, advocati Corbeiensis, consuetudines, seu vexationes et oppressiones
 reprimi, in gratiam Corbeiensis monasterii¹⁰.

¹ *Cart. S. Petri*, p. 177, 182, 250, 251, 248.

² *Ibid.*, p. 227.

³ *Cang.*, v° *Manus mortua*.

⁴ *Brussel*, p. 371.

⁵ *Miræus*, t. I, p. 297.

⁶ *Cart. S. Marcel-les-Chalons*.

⁷ *Ap. Salvaing*, t. I, p. 255.

⁸ *Ap. Brussel*, p. 595.

⁹ *Ap. Brussel*, p. 595.

¹⁰ *D. Bouq.*, t. X, p. 598, 622.

Quid plura adjiciam ut intelligamus quæ fuerint istæ occasiones illicitæ, injustæ retributiones, quas sæpissime vetitas in præceptis immunitatis reperimus.

Itaque, quum frustra Carolus Magnus rem publicam constituere, et potentiorum violentiam reprimere conatus esset, quum, deficiente regia auctoritate, dominatio sicut terra illos inter potentes dividitur, vis pro jure habetur, et undique inferioris conditionis homines opprimuntur.

His enim in temporibus potentissimus quisque, ut nonnullis scriptoribus placuit, subditos homines lueri nullo modo studet; quum contra illos videamus de senioribus suis miserrime querentes et adversus eos odio frementes: terræ passim in solitudinem rediguntur¹; homines, domibus vel possessionibus relictis, in exilium fugiunt: crescunt in dies latrocinia², et in Capitularium libris ubique reperire est rapinas, deprædationes, collectas quas *herizuph* vocant, infractiones immunitatum, incendia, assalaturas in domos, raptus fæminarum, denique conspirationes, conjurationes, seditiones. Quum nulla lege, nulla potestate jam protegeretur nec libertas hominum, nec proprietas, ut ipsi fatentur qui illius ætatis instituta defendere conati sunt, quomodo fieri potuisset, ut populorum conditio in melius fuisset mutata³.

Hic tantum insignia quædam verba referam scriptoris, qui tamen hominibus libertatem sibi vindicantibus non favebat: de execrabilibus communiis vehementissime queritur Guibertus: « Communia, inquit, novum ac pessimum nomen sic se habet, ut capite censi omnes solitum servitutis debent, dominis semel in anno solvant, et si quid contra jura deliquerint, « pensione legali emendent; cæteræ censuum exactiones, quæ servis infligi solent, omnimodis vacent. » Idem alio in loco hæc adjicit: « Erat eo « tempore maximis ad invicem hostilitatibus totius Francorum regni facta « perturbatio; crebra ubique latrocinia, viarum obsessio passim andieban- « tur, imo fiebant infinita incendia; nullis, præter sola et indomita cupidi- « tate, existentibus causis exstruebantur prælia, et ut brevi totum claudam, « quidquid obtutibus cupidorum subjacebat, nusquam attendendo cujus « esset, prædæ patebat⁴. »

Hæc etiam transcribam, quæ paucis verbis indicare mihi videntur, quæ fuerit miserrima hominum inferioris ordinis conditio, quum nullo supremo defensi imperio, insolenti potentium seniorum dominationi subderentur: « Patet « cunctis qualiter sæculares domini rusticis, servis et ancillis dominantur.

¹ Vide Lehuéron, t. II, p. 550, 606, 610.

² Impune latrocinia committuntur, et nihil constantius quam rapinarum violentia frequentatur. — *Lupi epist.*, ap. D. Bouq., t. VII, p. 515.

³ Guérard, *Cart. S. Petri.*, xcix.

⁴ Guib., *Hist. Hieros.*, lib. I, c. 7.

« Non enim contenti sunt eorum usuali et debita servitute, sed et res cum
« personis et personas cum rebus sibi semper immisericorditer vendicant.
« Inde est, quod præter solitos census, ter aut quater in anno, vel quotiens
« volunt, bona ipsorum diripiunt, innumeris servitiis affligunt, onera gravia
« et importabilia imponunt, unde plerumque eos etiam solum proprium
« relinquere, et ad peregrina fugere cogunt. Et quod deterius est, ipsas per-
« sonas, quas tam caro pretio, hoc est suo, Christus redemit, pro tam vili,
« hoc est pecunia, venundare non metuunt¹. . . . »

¹ Petri Venerab. abb. Clun., Epist. 28, lib. 1.

CAPUT NONUM.

CONCLUSIO.

Nunc operæ pretium est paucis verbis hanc concludere dissertationem.

Post Carolum Magnum, immunitatum numerus major fit in dies, quum reges, sive sponte sua, sive inviti, plerisque ecclesiarum et nonnullis fidelium suorum talia privilegia concedant: jam æquales hanc improvidam liberalitatem objurgant: « Ludovicus pius cum a patre dimitteretur, inter-
« rogatus ab eo est cur, rex cum esset, tantæ tenuitatis esset in re familiari, ut
« nec benedictionem quidem, nisi ex postulato, sibi offerre posset. Didicitque
« ab illo, quia privatis studens quisque primorum, *dum publica vertuntur*
« *in privata*, nomine tenus Dominus, factus sit pene omnium indigus¹. »

« In tantum largus,.... ut villas regias fidelibus suis tradidit in possessionem sempiternam, et præcepta constituit..... » — « Hinc libertates,
« hinc *publica in propriis usibus* distribuere suasit, ac dum quod quique
« petebat, ut fieret, effecit, rempublicam penitus annullavit². »

Parte alia multi homines, qui non jam contra potentiorum exactiones et injurias tutelam regiæ dominationis exquirere, et possessiones suas aut etiam libertatem per se ipsos tueri possunt, ad immunis cujusdam protectionem confugiunt, se suaque bona, ut frequentissimis constat exemplis, per cessiones aut fictas venditiones commendando.

Hac autem *commendatione* se deinceps tranquillius sub dominorum tuitione victuros esse sperant, et in partem quamdam eorum immunitatis venturos: plerique igitur se monasteriorum vel ecclesiarum potestati libenter submitunt, quum, præter pietatis et religionis causam, clementioribus dominis uti debeant.

Quicumque publico quodam officio ornantur, intra fines suæ potestatis,

¹ Anonym. Vit. Hludowici Pil, 6.

² Thegan., 19. — Nithard, lib. IV, c. 6.

omnia jura quæ per immunitates concedebantur, sibi per vim seu per regis privilegium retinere student : et nonnulli pauperes homines cogunt ut res suas vel vendant, vel commendent¹.

Itaque fateri necesse est, mox paucissimas terras superfuisse, quæ fisco subderentur, paucissimos homines exstitisse, qui publicam regis jurisdictionem agnoscerent. Quamvis Principes sub Mundeburdo suo potentes retinere nitantur, quamvis per Missos suos rem publicam et regalia jura defendere laborent, Carolus Calvus beneficiorum et officiorum hereditatem concedere cogitur.

Tum primum civitatis, pagi, seu comitatus territorium, sine lege certa, dividitur, sive possessionem agrorum, sive hominum dominationem consideremus. Tum, qui regiæ immunitatis privilegio fruuntur (et Comites aliique publici judices jam eadem auctoritate frui mihi videntur), præter alia jura, quæ ad terrarum possessionem vel ad feudorum constitutionem pertinent, iis omnibus juribus potiuntur, quæ publica quondam, nunc privata fiunt : « publica vertuntur in privata : publica in privatis usibus distribuuntur : « res publica jam nulla est, etc. » Igitur pleraque jura, quæ vulgo, sed forsitan immerito, feudalia vocantur, non e *terrarum possessione*, non e *feudo* et *federibus*, quibus terrarum possessores inter se conjungebantur, originem ducere videntur, sed potestas, dominatio, jurisdictio, aut justitia, ut sæpissime postea dicitur, sicut terra, dividitur, seu concessione regum, seu potentium usurpatione.

Census, telonea, tributa cujuscumque generis, quæ olim regiæ parti deferebantur, non perierunt : sed nunc adhuc a subditis hominibus penduntur. Non hæc primum potentes, ut terrarum possessores exigunt, sed ut victores, ut publicæ dominationis participes : mox autem, ut redhibitiones, quæ legitimis terrarum possessoribus solvendæ sunt, habebuntur. Ex hominibus liberis, nonnulli potentiores aut feliciores, sub diversis nominibus, seu vassalli, seu privati judices, seniorum fiunt quasi socii, milites, et cum illis dominationis fructus divisos habent ; sed plerique magis ac magis ad conditionem colonorum rediguntur, quum nullam publicam tutelam, nullam externam protectionem sperare jam possint, et gravissimis exactionibus quotidie onerentur : qui vulgo *homines de potestate*, *villani*, *manentes*, *ruptuarii*, *pagenses* aut *burgenses* vocantur : « On doit savoir, ait Beauma-
« noir, que trois estats sont entre les gens du siècle : li uns de gentillesse,
« li autres de cix qui sunt francs naturellement : tuit li francs ne sunt pas

¹ Dicunt quod quicumque proprium suum episcopo, abbati, vel comiti, vel judici, vel centenario dare noluerit, occasiones quarunt super illum pauperem quomodo eum condemnare possint, et illum semper faciunt in hostem ire, usquedum pauper factus volens nolens proprium suum tradat aut vendat. — Bal., t. I, col. 485.

« gentishommes, ainçois a grant différence entre les gentishommes et les autres francs homes de poeste : li tiers estas, si est de sers¹. »

Præterea qui regali jure potitur, hos census, quicumque sint, mutare, determinare, augere, nullo obstante, potest : hinc earum redhibitionum origo, quæ *tallia* vulgo appellantur, quæ ad *voluntatem*, ad *placitum* senioris impositæ, non solum a servis et a colonis, sed etiam a liberis hominibus de potestate debentur.

Omnia autem teloneorum genera, mercatus, fera, pedagia quælibet, moneta, etc., quæ facilius dividi, commutari, vendi possunt, res commercii fient : mox, qui teloneum de re qualibet percipit, se legitimum hujus rei possessorem profitebitur ; itaque ille qui vectigalia de fluviis aut viis transeundis exigit, nonnunquam horum fluviorum et earum viarum proprietatem sibi vindicabit.

Paratæ, mansiones, paraveredi, angariæ pariter ex hominibus de potestate ad proprios senioris usus exiguntur, quamvis nullus jam sit publicus cursus : hæc omnia quisque ad suam utilitatem, commutando vel augendo, accommodat ; hinc multas alias operas, quæ vulgo *corvadæ* appellantur, originem duxisse crediderim.

Militia, qua olim pro patria, pro re publica liberi homines fungebantur, fit pro privatis bellis servitium privatum : aut, quum seniores soli, ut ita dicam, milites arma gerunt, variarum redhibitionum fit causa vel occasio, quæ villanis incumbunt aut burgensibus, ad *discretionem* senioris.

Qui immunitatis privilegio ornati sunt, mox ingratam Missorum auctoritatem, aut regum etiam dominationem rejiciunt : tum ipsi a nemine jam judicantur, nisi in feudorum societate versentur ; dum eorum homines senioris jurisdictioni omnino submittuntur : consuetudines locum habent legis : nullo autem judice publico jam existente, quum inter homines, qui non in eadem potestate manent, lis quædam oritur, sæpius injuriam per vim ulcisci necesse est. « Si malefactor de potestate non fuerit, re ad dominum villæ perlata, si per admonitionem infra quindecim diem forisfactum non emendaverit, liceat majori et juratis, prout potuerint, vindictam de eo quærere. »

Denique, plerique banni seu imperii jure a regibus concessio vel a senioribus usurpato usi, fere omnes has exactiones instituent, quibus homines inferioris conditionis oppressi per tot annos gemuere : frustra has exactiones ad causam legitimam nonnulli referre conati sunt : semper odium subditorum, nec immerito concitavit hæc justitiaria seniorum dominatio.

Etenim, quum potestatem a possessione terrarum separandam, et feudum a jurisdictione seu justitia discernendum esse diximus, hinc videmus senio-

¹ Beaumanoir, ch. XLV, n^o 50.

rem, qui *justitarius* appellari solet, omnibus *justitiæ* juribus utentem et abutentem: cui debentur hominum operæ, corvadæ, census, etc.; quidquid exigit, onerosum subditis et odiosum est; et adversus illius tyrannicam dominationem, semper hominum querelæ exauditæ sunt¹. Senior ille contra, qui vulgo *feudalis* dicitur, nullum jus exercere videtur, quod homines liberos non deceat: hic fidem, amicitiam, devotionem sæpius celebratam, inter seniore vassallosque reperimus: fœdus, ut ita dicam, libenter ab utraque parte pactum fuit, quod nec æquitatem, nec libertatem excludit.

Ideo qui feuda tantum et nata e feudorum constitutione fœdera respexerint, hujus ætatis instituta intelligere non potuerunt, quum aliam originem attribuere necesse sit his omnibus exactionibus, quarum memoria nec apud populos, nec apud historiarum scriptores deletur. Igitur vere dixerunt, *qui aliud feudum, aliud jurisdictionem esse declaraverunt.*

¹ Vide Guizot, v^e *Essai*, p. 540, etc.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. xv kal. febr. ann.
MDCCCLVI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,
J.-VICT. LECLERC.

Typis mandetur:

Academice Parisiensis Rector,
CAYX.

ERRATA.

- P.* 8 *L.* 6... in quibus..... *lege:* in quibus.
 —12 — 4... per eneficium. — per beneficium.
 —20 — 8... retinuit..... — servavit.
 —49 —19... nonnullis — nonnullis.
 —83 —20... vidantur..... — videantur.
 —85 —29... ex quodum.... — ex quodam.

INDEX.

	Pagina
PROOEMIUM.	V
CAPUT PRIMUM.	
I. — Quæ sit immunitas sub Regibus secundæ stirpis : ecclesiasticis viris , sed etiam laicis conceditur.	1
II. — In immunitate potestas a possessione discernenda est. — Terras quas- cumque et homines cujuslibet conditionis attingit immunitas.	3
III. — Immunitatis privilegio terræ quædam et homines super eas manentes judicum publicorum jurisdictioni auferuntur. — De judiciis publicis et de eorum officiis.	6
CAPUT SECUNDUM.	
I. — De tributis aut censibus sub Regibus primæ et secundæ stirpis. . . .	10
II. — Quinam hæc tributa parti regiæ solvebant : quinam autem his publicis censibus eximebantur. — Terræ de fisco regali. — Allodia. — Immunitates. . .	18
III. — Varia immunitatum genera.	20
CAPUT TERTIUM.	
De Teloneis. — Varia teloneorum genera a Regibus concessorum. — Hæc telonea fiunt privati census.	24
CAPUT QUARTUM.	
I. — De cursu publico : mansiones, paratæ, paraveredi, angariæ : de tractoria. .	35
II. — Quibus incumbunt hæc onera.	39
III. — Immunitas a publici cursus oneribus liberat. — Tractoria privatis etiam hominibus conceditur	44
CAPUT QUINTUM.	
I. — Justitia in immunitate. — De justitia familiari : de justitia publica. . .	44
II. — Virtus immunitatum de fredis exigendis, de hominibus distringendis, de causis dijudicandis	46
III. — Qua ratione judicandi sint immunitatum domini : homines intra fines immunitatis commanentes, etc.	48
IV. — Judices privati : advocati, vicedomini, præpositi, majores villarum. .	56

CAPUT SEXTUM.

I. — Militia in immunitate: qua ratione homines, in immunitate manentes, militia fungantur. — Expeditio ad hostem, excubiae.	62
II. — Num Carolus Magnus bella privata permiserit?	64
III. — Immunitas a militia.	66

CAPUT SEPTIMUM.

I. — Jus publicæ disciplinæ: potestas; animadversio in facinorosos homines.	69
II. — Castrum vel castellum: opera castellorum; viarum et pontium cura.	70
III. — Jus banni: concessio banni; origo jurium, quæ vulgo BANALITÉS vocantur	72

CAPUT OCTAVUM.

I. — Illicitæ occasiones: consuetudines.	76
II. — Exactiones potentium, iudicum, quæ consuetudines et postea justitiæ jura fiunt.	78
III. — Hominum conditio, quum, regum imperio deficiente, potentes, quicumque sint, potestatem sicut terram inter se dividerunt.	81

CAPUT NONUM.

Conclusio	90
---------------------	----

